


LVC
SO
DE A
LI
IN Q
marun
QVID
intelliga
nulli



(vt fal
ua cor
sariò, v
per se i
tera ill
statum
le Iud

R. P.

LVCAE PINELLI,

SOCIETATIS IESV,

DE ALTERA VITA, ET Animarum in ea ſtatu,

LIBER PRIMVS.

IN QVO DE STATV ANIMARVM à corporibus ſeparatarum, agitur.

QVID PER ALTERAM VITAM intelligatur; Itemq; quomodo Philoſophi nonnulli ex eiuſdem ignorantia in varios incurrerint errores.

CAPVT I.



PER alteram vitam hic animarum noſtrarum ſtatum intelligimus, quando videlicet à corporibus ſunt ſeparatæ Immortales enim cùm ſint, neq; (vt falsò exiſtimabat Pythagoras) in noua corpora transferantur, ſequitur neceſſariò, vt corporibus defunctis ſuperſint, ac per ſe in alio ſtatu viuant. Atque hæc altera illa vita eſt, quæ & generis humani ſtatum poſt Reſurrectionem ac Vniuerſale Iudicium comprehendit, quando videlicet

..et animæ cum ſuis corporibus, quæ túc quoque immortalia erunt, iterum coniungentur atque vnientur. Christus Dominus noster apud S. Matthæum alteram vitam ſeculum futurum appellat, dicens *Qui dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro. Matt. 12.* In ſymbolo etiã noſtro *vitam futuri ſeculi* confitemur, per eandem alteram vitam intelligentes. Quomodo porrò animæ à corporibus ſeparatę (quæ ſubſtantiæ ſunt ſpirituales) moueantur, cùm pedibus corporeis ſint deſtitutæ, quomodo ſeſe inuicem intelligant ac alloquantur, cùm lingua careant, quò denuò vadant, & quid faciant, ſuis poſtea locis declarabitur. Scias interea, pie Lector, antiquos Philoſophos, cùm ſolo adiuti lumine naturali ſtatum ac conditionem animarum à corporibus ſeparatarum cognoſcere non potuerint, in varios incidiſſe errores. Quidam eorum, quòd ignorarent, quonam defunctis corporibus animę demigrarent, itemque quas exercerent operationes, de earum immortalitate obſcurè admodum locuti ſunt, ac fortaſsè etiam addubitarunt, veluti Peripateticorum nonnulli. Alij, quemadmodum Epicurei, animæ abnegantes immortalitatem dixerunt, poſt mortalem hanc vitam nullam aliam

vitam

vitam expectandam, atque hinc solis sese voluptatibus ac delicijs totos dedidêre. Alij porro creationem primi hominis ignorantes admirati sunt, qua ratione Deus animam, quæ immortalis est, cum corpore mortali coniungere potuerit. Atque hinc alij errores suam traxerũt originem. Pythagoræi enim, cum nonnullis alijs animarum quidem immortalitatem asseruerint; sed non intelligentes, quomodo absque corporibus consistere possint, earundem ex vno corpore in aliud trasmigrationem constituerunt, dicentes hominis morientis animam in alterius hominis, nonnunquam etiam in brutorum animantium corpus demigrare. Auerroës ex vna parte immortalem esse animam animaduertens, ex altera verò absurdum esse videns, dicere hominis morientis animam in aliud corpus transire, in alium incidit errorem longè deteriorem, dum vnam solam affirmat esse animam rationalem, quæ omnibus per vniuersum orbem hominibus assistat, quemadmodum scilicet omnes cæli vnam habent intelligentiam, à qua mouentur ac gubernantur, ita etiam humani generis speciem vnum habere intellectum aut animam arbitrabatur, à qua moueretur ac gubernaretur. Atque hic error in Concilio

Lateranensi *Sess.* 8. sub Leone X. damnatus est. Alius porrò grauissimus error fuit & omnibus his communis, quo mundum hunc æternum fuisse crediderunt, id est principio caruisse, neque vnquam habiturum finem. O quanto satius prudentiusq; fecissent hi Philosophi, si dixissent animæ quidem immortalitatem certam esse; at quid de eadem, defuncto corpore futurũ sit, solius naturalis luminis beneficio sciri aut cognosci non posse, quippe cùm naturalis Philosophia de anima duntaxat tractet quatenus corpori coniuncta est, neque hos limites vllo modo transgrediatur.

Ab his, alijsque similibus omnibus erroribus sanctæ fidei lumen nos vindicat. Lumen autem fidei hîc vocamus omnem cognitionem à Deo iam tum ab exordio mundi nobis reuelatam: neque refert, siue mediante S. Scriptura, siue alio quouis modo eam cognitionem acquiramus, modo ex reuelatione habeamus diuina. Primò igitur lumen ac cognitio hæc nos docet, Mundum habuisse principium, quemadmodum in sacra sua Genesi Moyses asserit, suntque secundùm sententiam magis probabilem anni circiter quinquies mille & septingenti, ex quo primùm Mundus à Deo fuit creatus. Deinde finem

hunc Mundum habiturum diuersis in locis textus Euangelicus cōfirmat. Vtrumq; stabilitur experientia, quippe cum videamus Mundum quò magis inueterascit, eò magis declinare, in peius ruere, ac deficere. Antiquitùs fructus terræ maioris erant virtutis ac substantiæ quàm nunc sunt; Homines prioribus istis seculis maioris erant staturæ, saniores erant, ac longioris vitæ quam moderni, quemadmodum etiam Plinius *Lib. 7. c. 16.* annotauit. Si ergo declinat Mundus, non poterit durare perpetuò, sed aliquando totus collabascet. Mundum porro principium habuisse, hac ratione probatur: Si antiquior esset Mundus quàm docet Moyses, iam rerum aliquot in eo gestarum haberemus historias; sed omnium, quotquot extant, historiarum antiquissima Berosi illa Chaldæi est historia, quæ (vt Iosephus scribit lib. 1. contra Appionem) diluuium non antecedit, quod extitit temporibus Noe. Atque ita omnium historiarum tam SS. quam prophanarum antiquissima est Moysis illa historia Geneseos diuina nobis reuelatione tradita, quæ de Mundi creatione ac principio certam nobis ac indubitatam subministrat scientiam.

Quod verò ad primi hominis creationem attinet, qui fuit Adamus, omnium

nostrum Caput ac Pater, sciendum est; Deum animam immortalem cum corpore mortali non coniunxisse. Quanquam enim corpus humanum ex natura sua mortale sit ac corruptibile: in principio tamen suæ creationis diuina gratia ac dono quodã supernaturali à Deo creatũ fuit immortale. vndè & anima & corpus simul erant immortalia, illa quidem per naturam, hoc veró per gratiam, homo autem per inobedientiæ suæ peccatum donum illud immortalitatis suæ amisit, solaque anima remãsit immortalis, quòd talis esset sua natura, hinc aliquoties ait S. Scriptura mortem in mundum per peccatum intrauisse. Gen. 3. ad Ro. 5. & 6. cap.

Hac cognitione si suprà nominati Philosophi fuissent illustrati, neutiquam tanta fuissent rapti admiratione, neque dixissēt Deum animã immortalẽ cum corpore mortali coniunxisse, in primo enim homine corpus etiã per gratiã extitit immortale, quẽadmodum & in posteris, nisi peccatum interuenisset, immortale fuisset remansurum. Dicat aliquis mihi: fieri non poterat, vt, quemadmodum anima natura sua erat immortalis, ita etiam corpus esset immortale, sic enim & post peccatũ (quẽadmodum et anima) remãsisset immortale. Respondeo illud fieri non potuisse:

præſuppoſito enim Deum hominem animal rationale creare voluiſſe, quaſi medium aliquod inter Angelos & bruta animantia, corpus neceſſariò debuit eſſe ſenſibile & ex contrarijs compoſitum; vbi verò contrarietas eſt, ibi etiam eſt corruptibilitas. Pari modo, cùm anima rationalis omni cognitione ac ſciẽtia careat, & (quẽadmodum inquit Ariſtoteles) tabulæ raſæ ſimilis ſit, neceſſe etiam erat tale eſſe corpus, vt ad ſcientias comparãdas illi inſeruire poſſet, quæ ordinario mediantibus ſenſibus acquiruntur. Senſibus igitur præditum eſſe debebat humanũ corpus; ſenſus verò ſine tactu eſſe non poſſunt, qui cùm ex contrarijs compoſitus ſit qualitatibus, etiam corruptibilis ſit neceſſe eſt, vndè perſpicuum euadit, corpus ex natura ſua immortalitatem habere non potuiſſe, ſed veluti iam dictum eſt, eam habuiſſe per gratiam diuinam.

Quod ad tertium attinet, quò nimirum animæ à corporibus ſeparatæ demigrent, & quid faciant, (nam harum præcipuè rerum ignorantia Philoſophi in ſupradictos errores inciderunt) ſciendum eſt S. Scripturam in multis locis nobis declarare, in altera illa vita Cælum eſſe, Infernũ, Purgatorium, & Limbum, loca, in quæ morientibus corporibus animæ rece-

ptantur, de quibus receptaculis quoniam cap.8.agemus, superuacaneum erit in præsentiarum vlterius disserere.

Pro fine itaque huius capitis ad duo potissimum pium Lectorem inuitabo, primò ad considerandum, quantum efficaciæ ac momenti sanctissimæ nostræ fidei lumen habeat ad præcauendum, ne quà à salutis nostræ via aberremus. Suprà nominati Philosophi, ac cum his alij multi, quantumuis ingenio excellenti præditi fuerint: tamen quia hoc lumine fuêre destituti, non solum ipsi à veritate aberrauerunt; sed & quam plurimis alijs suæ doctrinæ asseclis erroris causa extiterunt, neque mirum hoc, cum, qui cæcus est, non ipse tantúm facilé aberret, sed & errare faciat quotquot eum sequuntur. Deinde ratio manifesta est: Si quis enim destitutus naturali lumine rationis discurrere velit de rebus naturalibus, infinitos committet errores; simili modo eum errare necesse est, qui absque fidei lumine supernaturali de rebus supernaturalibus alterius vitæ velit ratiocinari. Neque dici potest, quod Philosophi isti dixerunt, verum quidem esse secundùm Philosophiam ac rationem naturalem, secundùm fidem autem nostram falsum esse ac erroneum, propterea quód id nulla ratione sub

sistere

sistere possit, quemadmodum in sacro Concilio Lateranensi *sess.* 8. definitum est, vbi hæc adducitur ratio, quia scilicet verum vero nunquam contradicit, vnde, si, quod dicti Philosophi asseruerunt, secundùm Philosophiam ac rationem naturalem, verum esset, veritati nostræ fidei nequaquam contradiceret, quæ cúm à Deo reuelata nobis sit, qui errare nescit, certissima ac verissima sit necesse est. Pro certo igitur statuendum nobis est, omnem doctrinam, qualiscunque ea tandem sit, aut à qualicunque Philosopho profecta, si fidei nostræ vel in minimo articulo cõtradicat, falsam esse etiam secundùm rationem naturalem, ac veram Philosophiã.

Secundò pium Lectorem excitare volui ad considerandam ac recognoscendã obligationem illam, qua Deo obstricti sumus, quòd is lumine sanctæ fidei illustrare nos voluerit. Quam quidem obligationem magnam esse, vel hinc patet, quòd nimirum beneficium illud, ex quo illa nascitur, maximum sit, quippe cùm absque fide nec saluari, nec placere Deo quisquam possit. Vnde S. Chrysostomus supra symbolum ait: *Fides Catholica lumẽ est animæ, ostium vitæ, & fundamentum salutis æternæ.* Hinc colligitur quanto in precio nobis habenda sit fides: & certe si gra-

tus nobis est visus corporalis, sine quo tamen viuere, aliasque multas exercere possumus actiones naturales, multò charior nobis debet esse fides, quæ visus est animæ absque qua existere nullũ potest opus meritorium vitæ æternæ. Hinc est quòd diabolus salutis nostræ inimicus isto nos priuare lumine impensè adeò annititur, vt videlicet eodem orbatos pro libidine sua nos circumagitet ac præcipites trahat, veluti agere eum videmus cũ hæreticis hoc sancto lumine destitutis.

POST MORTEM ALTERAM superesse vitam.

CAPVT II.

MOrtalem ac fallacem hanc vitam post mortem aliam excipere vitam immortalem, in qua nimirum omnium factorum nostrorum nobis reddenda sit ratio, ita clarè ac perspicuè sancta nostra fides demonstrat, vt, si quis id vel negare, vel in dubium saltem trahere deliberata voluntate præsumat, præterquam quòd grauissimum committat peccatum, tanquam infidelis etiam ac apostata puniri mereatur. Alteram enim vitam negare nihil aliud est, quam aut Deum negare, aut animam esse immortalem, quorum vterque adeò grauis est error, vt propter eundẽ non-

nonnulli ab Ecclesia excommunicati, ac veluti peruersi hæretici, temerarijque atheismi rei sint condemnati. Et quanquã vnus hic sit ex fidei nostræ articulis, de quibus vel dubitare nefas; nihilominus tamen eundem aliorum etiam authoritatibus ac rationibus confirmabimus.

A principio mundi adeò firmiter antiquorum ac SS. Patrum animis alterius huius vitæ notitia ac gustus fuit impressus, vt quid hac in parte credendum censuerint, clarissimis testimonijs posteritati reliquerint declaratum. Et ne totam opus sit percurrere scripturam, aliquos ex ea saltem locos attingam. Primò magnus ille Patriarcha Iacob dilecti filij sui Iosephi, quem à bestia deuoratum existimabat, interitum deplorans ait: *Gen. 37. Descendam ad filium meum lugens in infernum.* certò enim credebat filium suum, quoad animam, in limbo Patrum detineri. S. Iob cuius animo adeò efficaciter alterius huius vitæ impressa erat cognitio, vt propter eam summa patiẽtia tãtas tribulationes ex improuiso immissas sustineret, cõtra impios loquẽs, qui absq; timore Dei viuẽtes Deũ à se repellebãt, in hæc verba prorũpit: *Ducũt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendũt,* ad luendam scilicet pœnam suarum iniquitatum. Ergo post mortẽ al-

tera vita, aliusque animarum status est futurus. Dauid eximius ille Propheta post hanc vitam non solùm quàm plurimis in locis alteram superesse vitam, sed & eiusdem summo sese teneri desiderio confessus est, non aliter quàm ceruus desiderans fontes aquarum, vndè cùm iam quasi mille annos sibi vixisse videretur, inquit: *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* Eodem desiderio agebatur & S Paulus cũ diceret: *Desiderium habens dissolui & esse cum Christo. Philip,* 1. non quidem in hac vita], vtpote in qua iam erat cum Christo, sed in altera illa. Et *Psal*. 48. de impio diuite loquens, ait *Propheta*: *Cùm interierit non sumet omnia, neque descendet cũ eo gloria eius*. quasi dicat: Si quispiam in hac vita diues fiat ac potens, ne conturberis; quando enim ex hac vita in alteram vitam emigrabit, nequaquam secum sumet omnes suas diuitias, neque cùm eo descendet gloria eius, qua scilicet pollebat in hac vita. Sapientissimus Salomon de hominis loquens dissolutione, ait: *Reuertatur pulmis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum* Si anima ad Deum reuertitur creatorem suum, Ergo alius eius erit status, et altera erit vita. Item in lib. Sapientiæ dicitur condemnatos in altera vita dicturos de beatis: *Ecce quomodo com-*

do computati sunt inter filios Dei, & inter Sãctos sors illorum est: Quasi dicat: Ecce hi sunt, quos nos in altera ista vita mortali contempsimus, nunc filijs Dei annumerantur & inter sanctos sors illorum est. Magnus ille militiæ Dux Iudas Machabæus post insignem illam de Gorgia alijsque populi Dei inimicis obtentam victoriam pro militibus in prælio occisis orauit, simulque Hierosolymã magnam argenti summam misit, vt sacrificia pro peccatis illorum offerrentur, et ait eo in loco S. Scriptura 2 *Mach*. 12. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*. Si ergo mortuorum animæ à pœnis peccatorum liberari possunt, alteram vitam, aliumque viuendi modum superesse necesse est

Ex Nouo testamento vnum aut alterum locum adduxisse suffecerit, ac primus quidem est apud S. Lucam in historia illa, quam Christus ipse de paupere Lazaro ac diuite Epulone commemorat, *Luc* 16. vbi ait illum mortuum ab Angelis deportatũ fuisse in sinum Abrahæ, ad Limbum scilicet; hunc verò in Inferno sepultum & cruciatum fuisse. Alter locus in Apocalypsi est *Ca*. 14. vbi dicitur: *Beati mortui qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos*. Si opera in hac vita perpetrata mor-

ta mortuos sequuntur, ergo animæ emigrant in locum aliquem, vbi opera earum illas sequũtur. Inter Philosophos gẽtiles multi extitêre, qui alteram illam vitam crediderũt, nec non eiusdẽ in scriptis suis fecêre mentionẽ, ac ne lõgus sim, duas aut tres ex *Platone* authoritates adduxisse mihi suffecerit, qui, quòd de rebus diuinis piè loqueretur, non immeritò diuinus appellatus fuit. Hic igitur in dialogo, qui Gorgias inscribitur, ita ait: *Multis peccatis refertam animam ad inferos descendere extremum omnium est malorum.* Vbi per inferos alteram vitam eum intelligere facilè cuiuis dialogum illum legẽti manifestum euadit. Præterea in dialogo Phædon intitulato ait: *Si enim mors totius dissolutio esset, improbi lucrarentur, nunc autem cùm anima immortalis appareat, nulla superest malorum declinatio,* id est, nõ possunt declinare pœnam suarum iniquitatum. Demum sub finem eiusdem dialogi ita inquit. *Nihil aliud cùm migrat ad manes, Anima secum trãsfert præter eruditionem, & educationem,* id est, opera quæ fecit. Pro harum rerũ confirmatione operæpreciũ mihi videtur hîc commemorare historiam Cleombroti, cuius meminit *S.* Augustinus in lib. de ciuit. Dei, vbi refert dictum Cleombrotũ, simulatq; Platonis dialogum Phædon inscri-

ptũ legiſſet, in quo agit de animæ immortalitate, & poſt mortem aliam ſupereſſe vitam immortalem intellexiſſet, adeò inflãmatũ fuiſſe immortalis iſtius vitæ inchoandæ deſiderio, vt ex alto quodã loco ſemetipſum præcipitẽ dederit. Eadem hiſtoria à Lactãtio ſimul & alijs cõmemoratur.

Sibyllæ etiam, quarum oracula apud omnes gentes ſummopere fuerunt celebrata, de altera illa vita non obſcurè teſtatæ ſunt, quemadmodum inter alias Sibylla illa Erythræa de Iudicio loquens & pœna damnatorum dicit: *Ignis fontes æternus aduret.* Sibylla Delphica celebratiſſima apud Græcos, Idololatras feles, canes, ac ſerpẽtes adorantes reprehendit, & ſic de pœnis illorum loquitur:

Propterea feruens ignis vos opprimit ardor,
Semper & in flammis turpes ardebitis, omne
Quandoquidem vanis ſtatuis impenditis æuũ.

At de his, qui vnum adorant Deũ, ita ait:

Hi vitam degent, quæ tẽpus in omne manebit,
Floriferos hortos Paradiſi ſemper habentes,
Et dulcem cœli panem ſtellantis edentes.

Præterea libro 2. oraculorum de hac vita ſic ait:

Hoc certamen, hic eſt labor, hæc ſunt præmia pugnæ,
Hæc vitæ porta eſt, hic eſt ingreſſus in æuum
Æeternum.

Et

Et paulò inferius subiungit:

Vt præmia digna
Accipiant, et quæ mortalis quisque patrarit
In vita, soluant.

Multi Ethnici, itemque plurimæ Infidelium sectæ in China & Iaponia, Turcæ etiam, quemadmodum ex Alcorano videre est alijque plures, qui animæ immortalitatem admittunt, pro certo tenent à morte aliam esse vitam ac statum animarum, etsi de actionibus animarum à corporibus seiunctarum perperam sentiant, grauissimeque hallucinentur, quemad modum suis in locis videbimus.

Nunc ad eos veniamus, qui non tacito duntaxat intellectus consensu; sed & professione ac proprio sanguine aliam post hanc esse vitam demonstrarunt. In primitiua Ecclesia inter omnes ætates vtriusque sexus inuenti fuerunt homines, qui non duntaxat sponte sua omnibus mundi delicijs ac voluptatibus sese abdicauêre; sed & diuitijs, honoribus, cæterisque huius vitæ illecebris relictis, totos sese ad asperrimam agendam pœnitentiam comparauerunt, domiciliorum loco nunc monasterijs, nunc eremo, deserto, alijsque speluncis ac locis solitarijs electis, vbi pro lectis humo, pro cibis verò radicibus ac herbis vtebantur, portabant cilicia

& ferreas

& ferreas cathenas super nuda carne, semetipsos vel ad sanguinem vsq; percutiebant, integros aliquot dies ieiunabãt, nec non annos integros ab omni colloquio abstinebãt, vt reliqua cruciatuũ genera omittã, quibus vltrò sese affligebant, quemadmodũ recẽset Climacus in gradu quinto, atque hæc omnia faciebant aut ad virtutẽ acquirendã, spe videlicet præmiorum allecti, quæ virtuti in altera illa vita debẽtur, vel ad pœnas futuri seculi euitandas, quas peccatis suis promeruerant. Et certè, nisi post hanc vitam aliam futuram credidissent, nequaquam tanto in seipsos vsi fuissent rigore ac sæuitia, neque in hac vita tanta tormẽta vltrò ferenda suscepissẽt.

Infinitus porrò numerus est hominum omnis ætatis, conditionis, ac status, qui in testimoniũ sanctissimæ nostræ fidei sanguinem suum profudêre, quos omnes insigniter certè stolidos fuisse necessum est, tam atrocia martyria subeundo, si post mortem nullus superesset locus in quo opera tam heroica ac gloriosa remunerarentur.

Tanti Doctores ex omnibus nationib. ac partibus totius orbis authoritate sua eandem hanc veritatem confirmauerunt, posterisque suis scriptis etiam contestatã reliquerunt, qui cùm ingenio polluerint excel-

excellentiſſimo, rudioribus omnibus omnem facilè de vita futura dubitandi occaſionem præripuerunt. Tanti Reges ac Imperatores, penes quos totius Mundi Imperium fuit, cùm potentiſſimi fuerint, haud difficulter pro ſumma ſua diligentia de altera illa vita poſt hanc futura inueſtigare potuerunt, quam cùm & vita ſua, pijſq; ſimul in omni virtutum genere exercitijs profeſſi ſint, omni planè dubitationi de altera illa vita viam præcluſerunt.

Multis quoque pijs ac deuotis hominibus cõceſſum fuit videre iuſtorum animas inter Angelorum choros ad cælum euolantes, è quorum numero fuêre S. Benedictus, S. Dominicus, S. Franciſcus, omnes diuerſorum ordinũ fundatores, digni certè quibus ob ſanctitatem & integritatem ſuam fides habeatur. Alijs Inferni flammas, & qui iiſdem torquerentur videre cõceſſum fuit, quibus viſionibus quàm plurimi conuerſi vitam deinceps ſanctiſſimã peregerunt. Neque ſanè dici poteſt omnes haſce viſiones diaboli fuiſſe illuſiones, quippe cùm eæ ad lapſum & ad peccatum homines perducant, vitamq; efficiant deteriorem, non autem meliorem, quemadmodum de hiſce apparitionibus manifeſtum eſt. Vnicum dũtaxat referam exemplum, *Petrus* Hibernus viſis inferni ac gehennæ.

hennæ cruciatibus, Mundum planè relinquere proposuit, & cùm ad erêmum sese asperrimam contulisset, adeò duram ac rigidam egit pœnitentiam, vt, licet Inferni tormenta se vidisse nulli vnquam oretenus confessus sit, tamen ea sola pœnitētia id vnicuique satis manifestum efficeret. Similium exemplorum plurima reperiuntur in libro qui Speculum Exemplorū inscribitur.

Neque rationes ad eandem demonstrandam veritatem deficiunt. Primò, Si nulla post mortem alia vita futura esset, iam in hac vita præsenti virtutem fugere, vitia verò sequi oporteret, vnusquisque enim teneretur ad eam ipsam vitam conseruandam, fouendam, & oblectandam: cùm ergo ab adolescentia ad mala ac vitia natura nostra sit inclinata, sequetur, si obsecundare eidem nostræ vitæ velimus, eiusdemque appetitui satisfacere, naturam nostram in omni vitiorum genere exercēdam esse, non aliter quam porcus, qui, si blandiri illi velis, ad lutum deducēdus est, quo quātò magis deturpabitur, tantò maiori voluptate afficietur. Pręterea omne id fugere ac declinare necessū erit, quodcunq; tandē aliqua molestia siue tędio naturam nostrā afficit, vti virtutes, quę summa molestia acquirūtur, acquisitę verò nō

nisi

nisi maximo labore exercentur. Iam quis non videat omni id rationi esse contrarium, absurdũ planè, nec non homine prorsus indignum? adeò, vt si bruta animantia, quid virtus, quid item vitium sit, intelligerent, eiusmodi absurditatem nullatenus sint concessura, quam tamen concedere & admittere cogitur quisquis post hanc vitã alteram vitam negat esse futuram.

In hac etiam vita multa videmus fieri iniquè, multa iniustè, pauperes quàm plurimos à ditioribus opprimi, insontes multos à Tyrannis occidi, nonnullos etiam præter omne ius condemnari, è contrario verò multos iniquos & sceleratos absolui. Iam si præter hanc nulla alia vita est, necessariò sequetur, Deum non rectè gubernare hunc Mundum, qui tantas enormitates ac scelera supportet; imò dicẽdum necessariò est, Deum peccatis, quæ in hoc Mundo perpetrantur præbere occasionẽ: dum enim peccatores nõ castigat, ad grauiora scelera perpetranda reddit audaciores, qualia de Deo vel sola cogitatione concipere, maxima blasphemia est & impietas. At qui alteram vitam credunt, dicunt DEVM peccata, quæ in hac vita non punit, in altera illa castigaturum, itemque quod impios omnes hic non castiget, certissimum esse argumẽtum, aliud

post hanc vitam vitam futurum esse Iudicium, in quo singuli pro actionibus suis consequentur retributionem.

S. Ioannes Chysostomus *Ser.* 4. de Prouidentia, vt ostendat post mortem alterā superfuturam vitā, hoc vtitur argumento: *Si nihil est post hanc vitā, ne Deus quidē est, sin Deus est, iustus est, quod si iustus sit, pro dignitate retribuet vnicuiq;*. Ad intelligendā huius argumenti, quo S. Chrysostomus vtitur, vim & efficaciam, animaduertendum est, iustum tunc Iudicem appellari, cùm impios, quando potest castigat; iustos verò & bonos præmijs afficit. Cùm ergò supremus Mundi Iudex sit Deus, idem præstet necesse est, aliàs enim non erit iustus, & consequenter non erit Deus: ipsa enim iustitia ita arctè cùm diuina cohæret natura, vt qui à Deo iustitiam separat, etiam diuinam ab eodem seiungat naturā, quod S. Chrysostomus quoque affirmat, dicēs: *Si Deus est, iustus est.* Iam verò multi reperiuntur laudatissimæ atque sanctissimæ vitę homines, qui in hac vita non solùm suarū virtutum ac bonorum operum præmia non consequuntur, sed afflictiones etiam, persecutiones ac tribulationes quam plurimas patiuntur; è contrario multos videmus impios & sceleratos, qui non tantū in hac vita nō puniuntur, sed & quamplu-

ximis beneficijs accumulantur, quemadmodum dicit S. Iob: *Subleuati sunt, confortatiq; diuitijs* Cap. 21. Quod admirans Ieremias cap. 12. exclamat dicens: *Quare via impiorum prosperatur: benè est omnibus qui præuaricantur & iniquè agunt?* Quasi diceret: Quare ô Domine impijs malè viuētibus tam feliciter omnia succedunt? Huc spectat S. Chrysostomi argumentum: Si post hanc vitam alia nō superest vita, Deus iniustus est, quippè cùm nō remuneret benè viuentes, & afflictiones propter nomē eius supportantes: si iustus non est, nec Deus est, ob rationē supradictā. At posita altera vita, simul etiā iustitia & iudicia Dei saluantur: nam qui hîc flent & iniurias ac tribulationes propter Deum patiuntur, in futura vita sine fine gaudebunt, & è contrario scelerati, qui hîc gaudent, postmodum in futuro sæculo tormentis afficientur. ita diuiti Epuloni & Lazaro mendico contigit, sicut Abraham in limbo alterius vitæ attestatur dicens ad Epulonem: Luc. 16. *Recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris,* id est. Recordare, quia in vita tua multis accumulatus es bonis, vitamque vixisti omnibus delicijs affluentē, Lazarus verò cōtra multa mala perpessus est, & patienter sustinuit aduer-

sitates

sitates, ideoque in hac vita consolatur, præmia videlicet recipiens suarum virtutum, tu autem torqueris, pœnas tuorum peccatorum persoluēs. Hinc nullus Christianorum scandalizari debet, si in hac vita bonos affligi, impios verò gaudere cōspiciat. nemo siquidem ita peruersus est, quin aliquando bona operetur, quæ Deus illi compensat, prosperitatem ac temporalia bona largiendo; similiter nemo (cōmuniter loquendo) adeò perfectus ac prouidus est, qui non aliquando labatur, & leuiusculum aliquod peccatum committat. Hinc fit vt iusti nonnunquam aliquas patiantur aduersitates: Deus enim, sicut bonum nullum incompēsatum, ita & peccatum nullum impunitum relinquit; quāquam & sine culpa tribulari iustos quandoque videamus, at non sine magno ipsorum commodo ac lucro, bonis siquidem, dum calamitates immittit Deus, occasionem præbet exercendi virtutes, aliaque opera meritoria perficiendi, quò coronam abundantiorem, magisque gloriosam reportent. Adde, quòd tanta ac talia sunt bona, quæ iustis DEVS præpaparauit in altera vita, vt si centuplo plus in hac vita patiantur, pro nihilo tamen id omne horum collatione existimari debeat,

sicut

ſicut Apoſtolus Paulus teſtatur, dicens: *Puto enim quòd non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* nam præmia incomparabili quodam modo omnibus noſtris moleſtijs ac laboribus erunt maiora. E contrario verò tanta ac talia ſunt tormenta impiorum, quæ in altera vita perpetientur, vt mirum ſit in hac vita maioribus eos delicijs non affluere.

Chriſtus æterni Patris Sapientia, qui errare nequit, neque quempiam decipere, poſt hanc vitam alteram futuram nobis reuelauit, & beatitudo illa, quam promiſit, non in hac, ſed in altera vita adimplenda erit, quemadmodum ex illo Matthæi capite videre licet, in quo ait: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiā, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Hæc ipſa ratio tanti eſt momenti, vt ſi nulla alia ſuperſit, propter eam ſolam huic veritati & axiomati indubitato, de futura vita meritò acquieſcere debeamus, etiamſi pro ea moriendum ſit.

QVAM GRAVE PECCATVM ſit alteram negare vitam.

CAPVT III.

Tribus

TRibus modis alteram vitam negare possumus, primò ipsis factis si nimirum absque omni timore Dei viuamus, atque ita carnaliter, quasi præter hanc vitã nullam aliam expectemus, licet eandem intrinsecus quidem & in animo confiteamur. Secundò, si non duntaxat præter hãc præsentem vitam nullam aliam esse nobis persuasum habeamus; sed & eandem oretenus abnegemus, licet id vel timore vel alia quauis causa impediti, modestiorem vitã agendo, aliquando dissimulemus. Tertiò deniq;, si dictis simul & factis vitã agamus Epicuræam, id est, si nullam aliam vitam superesse credentes, more bestiarum viuamus. Atque hîc de secundo potissimum ac tertio modo agitur: qui enim primo modo delinquunt, etsi grauissimè quidem peccẽt; nihilominus tamen alteram vitam esse credunt.

Dico ergo vitam futuram abnegare, atque ipsa morte credere finem omnibus rebus imponi, peccatum esse maximè abhorrendum, non solùm, quia Christianum tali hæresi infectum sancta nostra Mater Ecclesia detestetur, excommunicet, atque anathematizet, neque quòd reliquis omnibus flagitijs ac sceleribus quasi fenestra aperiatur hoc ipso crimine eo magis pernicioso, quò maiori pollet potentia ac fa-

cultate qui eodem infectus est (propterea quòd talis maiorem habeat occasionem in effectum deducendi quicquid illi à diabolo suggeritur) sed vel ob id maximè, quia ex maxima, quæ excogitari potest, superbia nascatur, temerariamque sibi adiunctam habeat præsumptionem. Quod licet ex his, quæ præcedēti capite diximus, colligi possit; tamen hîc particulariùs nonnihil explicare videtur operæprecium.

Qui negant alteram vitam à Deo reuelatam, tantisque authoritatibus ac rationibus à nobis suprà comprobatam, nihil aliud videntur velle dicere, quàm *Patriarchas* & Prophetas omnes, quid hac de re dixerint, ignorasse, Salomonem, Apostolos ac omnes Ecclesiæ Doctores fuisse hallucinatos; *Platonem*, reliquosque *Philosophos*, Sybillas quoque, & quicunque tandem contemptis huius mūdi illecebris ad agendam pœnitentiam sese totos abdicauêre alterius vitæ præmiorum spe allecti, omnes omnino deceptos fuisse; denique Martyres omnes, quotquot mediante martyrio futuræ vitæ gaudijs sese perfruituros sperauêre, delirasse ac mente captos fuisse, ad extremū ipsam Christi doctrinā falsam esse atq; erroneam. Iā quæ, obsecro, superbia hac maior potest excogitari? nunquid maxima præsumptio est, credere totū errasse mūdum, te solo excepto

cepto? An fieri poteſt, vt tu ſolus plus ſapias quàm reliqui omnes ſancti Doctores, plus ſcias quàm omnes Apoſtoli, atque adeò Chriſtus ipſe Dei filius ac Patris increata Sapientia?

Verùm dic mihi, quæ te ratio mouet ad alteram vitam negandam? fortè, quia non videtur, inquies, ſed hæc ratio non ſubſiſtit, quia multa non vidiſti, quæ tamen pro veris acceptas. Dic ſodes, an non Indias eſſe certò credis? & tamen has non vides, nec vnquam vidiſti. Vnde hunc tuum eſſe Patrem noſti, vnde hanc tuam eſſe Matrem? Vidiſtine quòd te generauerint? Dices, Indias eſſe, & hoſce meos eſſe parentes credo, quia idipſum ita ſeſe habere alij mihi recenſent. Atque hic error grauiſſimus eſt, credere ſcilicet verum eſſe quod alij affirmant, & alteram vitam velle in dubium collocare, quam iam tum ab ipſo Mundi principio in hunc vſque diem prædicauerunt, ac confirmârunt tanti Prophetæ, tanti Doctores & Sancti omnes.

Reſpondebis fortaſsè, *Indias* eſſe certò te credere, itemq; hos tuos eſſe parentes, quòd ita affirment alij qui viderint, quiq; ipſi in Indijs fuerint. Primò, quòd hic Pater tuus ſit, nemo vidit, & tamen hoc certò credis; deinde multos tibi dico in altera illa fuiſ-

se vita, inter quos etiam fuit D. Paulus, qui raptus in tertium cælum, *audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, 2. *Cor*. 12. fuêre alij plures, tot denique resuscitati fuêre à mortuis, qui de vita futura non pauca retulerunt. Et si nemo sit alius, solius tibi Christi sufficere debebat testimonium, qui Iudex est viuorum pariter ac mortuorum, cuius anima, dum corpus per triduum illud exanime requiesceret, in Infernum descendit, multorumque animas ibi detentas liberauit, quæ alteram illam vitam viderunt.

Hîc notandum est, quòd doctrinæ isti de altera vita assentiri ac credere possimus multis modis, varijsque de causis. Primò propter rationes precedenti capite commemoratas. Secundò propterea quòd Plato, alijque Philosophi, Sybillæ, multæque infidelium sectæ alteram etiam vitam crediderunt, atque etiamnum credunt. Qui duo modi ex fide humana sunt ipsis etiam infidelibus communes, atq. (vt postmodum dicetur) omnis meriti expertes. Tertiò idipsũ credere ac pro certo tenere possumus, quia nimirum à Deo, qui infallibilis veritas est, ita nobis sit reuelatum. Atque hic tertius modus Christianorum proprius est, quo videlicet propriè dicimur credere, qui actus est fidei diuinæ, quò pertinent omnes articuli

culi

culi ac dogmata fidei, siue expressè in SS. literis contineantur, siue ex ijsdem deducantur, modò ab Ecclesia nobis credenda proponantur. Demum vitam futuram credimus eò quòd Deus ita nobis dixerit ac reuelauerit. Et hic Christianorũ modus optimus est, omniumque perfectissimus. Primò quia hoc modo Deus maiori afficitur honore, vtpote cuius nudis verbis integram fidem præbeamus, quemadmodum scilicet maiori honore afficit terrenum aliquem Principem, qui verbis eiusdem, sine testimonijs, iuramentis, aliaue quacunque confirmatione adhibita, fidem præbet, quã qui rationes ac testimonia eorum, quæ dicit, requirit. Hic enim, preterquã quòd nullum illi honorem deferat, etiam grauiter eundẽ offendet. Pari modo grauissimè etiam veritatis Dominum offensurus est, qui eidem absque testimonijs certisque signis credere tergiuersatur. Secundò hic modus est perfectissimus: nam cum altera illa vita, cum omnibus ijs rebus, quæ ad ipsam pertinent, sub sensus non cadat, fieri nullo modo potest vt de illis certam habeamus cognitionem, præterquam, per solam fidem ac reuelationem. Deinde etiam hic modus conuenientissimus est omnibus illis, quibus eã habere cognitionem necesse est, quorum cùm plerique indocti, idiotæ, ac hebetio-

ris ingenij ſint, rationes non ita commodè comprehendere valent, neque de ſimilibus rebus multum diſcurrere aut diſputare; fidei verò omnes ſunt capaces. Tertiò hic modus perfectiſſimus eſt, eò quòd homini etiam ſit meritorius: cum enim credere Deo in rebus ſenſibus non manifeſtis, neque intellectui noſtro perſpicuus ex libera naſcatur voluntate, ſequitur illud ipſum eſſe meritorium. Hinc in Eccleſiaſtico ſcriptum eſt: *Eccl. 2. Qui timetis Dominum, credite illi: & non euacuabitur merces veſtra.* At ſi id quod credimus per ſe euidens ſit ac manifeſtum, nullum erit meritum; ideò dicit Gloſſa: *Fides non habet meritum vbi humana ratio præbet experimentum, Cap. 10, ad Hebræos*, per quod ſcilicet intellectus ad cõſentiendum compellatur.

Quæret hîc quiſpiam: Quomodo humana ratio fidei meritum diminuit, ſiue de facto planè tollit? Reſpondeo tribus modis humanam rationem ad actum credendi poſſe concurrere. Primò, quatenus ea ſola cauſa eſt vt credamus, vt ſi quis v. g. credat alteram vitam, non quia reuelata nobis à Deo ſit, ſed propter aliam quamuis rationem, aut authoritatem humanam; hîc enim, ſiue illa ratio euidens ſit, ſiue non, nullum omnino eſt meritum, nec actus quidem eſt fidei diuinæ, ſed tantum humanæ

manæ, nam fundamentum totum humanum est. Secundus modus est, quo nimirum humana ratio causa est partialis vt credamus, vt si quis alteram vitam credat, partim quia à Deo reuelata sit, partim verò propter rationem & authoritatem humanam. Et in hoc secundo modo exiguum etiam admodum meritum est, non quia credendi hic actus purus non sit ex fide diuina, vtpote qui & cum fide humana permixtus sit, sed propterea quòd actus ille credendi diuinus infirmus etiam sit ac planè debilis, nullus omnino futurus, nisi ratio illa siue authoritas humana accederet. Tertius modus est, cùm ratio illa siue authoritas humana concurrit ac iuuat, non quidem ad actum credendi alteram vitam, sed ad persuadendum duntaxat homini, vt credat veritatem hanc à Deo esse reuelatam. Atque hoc modo crescit meritum: facit enim hæc ratio humana, vt firmiùs constantiusque credamus, atque ita meritum existit maius, & actus credendi diuinus est, quippe qui in sola diuina fundatur authoritate.

QVANTVM PECCATVM SIT *dubitare an post mortem alia futura sit vita.*

CAPVT IV.

POst hanc aliam futuram esse vitam, cũ articulus fidei sit, eo modo credendum est, quo reliqui articuli, ac fidei dogmata creduntur, id est fideliter ac firmiter, quemadmodum S. Athanasius inquit in fine sui symboli ab Ecclesia recepti & approbati: *Hæc est fides Catholica, inquit, quam nisi quisque fideliter, firmiterq́; crediderit, saluus esse nõ poterit.* Id est saluari nequit, qui fidei nostrę Catholicæ articulos firmiter non credit. Illud ipsum dicitur in principio de summa Trinitate & fide Catholica. Firmiter igitur & absque omni dubitatione credendum, post mortem alteram futuram vitam: neque enim firmiter aut fideliter is credere putandus est, qui de hac vita vllam habet dubitationem.

Vt igitur sciamus quàm graue peccatum sit de altera illa vita dubitare, notandum est, multis quidem hominibus dubia circa rés fidei occurrere, veruntamen quia non ex certa deliberatione proueniunt, sed potius contra illorum voluntatem, hinc iisdẽ

etiam hominibus displicent. Alia porrò dubia sunt surreptitia, & à Dæmonij suggestione proficiscuntur, quæ tamen ob id neque peccata sunt, neque verè dubia dicẽda, sed apprehensiones tantum siue repræsentationes contra fidei nostræ dogmata & assertiones. Idem de scrupulis dico sentiendum esse, qui contra fidem nostram hominibus vel inuitis obueniunt, summamque molestiam afferunt; quamuis inter hos & dicta iam dubia nulla sit differentia. Quibus dubiis si qui stimulentur ac diuexentur, non modò non peccant; sed propter summos dolores ac cruciatus, quos inde concipiunt (si modò ob amorem Dei patienter tolerent) plurimum etiam promerentur, magnamque vtilitatem ac ingentia commoda percipiunt: præterquam enim quòd hac ratione à Deo in humilitate sua continentur, talibusque flammis magis magisq; purificantur, propter molestias quas sustinent copiosissima etiam in cælis præmia reportabunt. In hac porrò vita illud maximum ijs erit solatium, scire videlicet, non se solos eiusmodi sustinere afflictiones, sed plurimos etiam piæ & sanctissimę vitę, Religiosos, aliosque homines iustos & innocentes eiuscemodi dubijs, aut repræsentationibus potius infestari. Hinc nemo ob eiusmodi difficultates ex supradi-

ctis scrupulis ac dubijs prouenientes à Deo se derelictum aut condemnatum iri putabit, quinimo maiores hac de causa Deo omnes debent reddere gratias qui id nonnunquam fieri maioris boni ac commodi gratia permittit.

Aliud genus dubiorum est, quæ ita suspensos homines reddunt, vt neque credant, neque non credant, v. g. Est quispiam, qui post hanc vitam alteram futuram non credit, neque tamen eandem negat; sed in ancipiti quasi libra hæret, eò quòd neque negatiuam, nec affirmatiuam certò credat, & hinc dubius appellatur. Huiusce modi dubium, si voluntarium sit ac deliberatum, id est, si scienter ac volenter homo ille de altera vita dubitet, peccatum est, & quidem grauissimum, vtpote quo maximam Deo inferamus iniuriam, cui (cùm infallibilis veritas sit) in omnibus rebus ab eo reuelatis indubitata est adhibenda fides. Iam si quis dubitet de rebus à Deo reuelatis, etiam dubitat verumne testetur Deus siue falsum, atque ideò eiusmodi dubium mortale ac grauissimum est peccatũ. Verùm si voluntarium non sit, non est peccatum, veluti superius diximus, aut saltem peccatum veniale.

Adhæc cùm tantis miraculis fides nostra plantata sit, tantorum martyrum sanguine

guine succreuerit, tantorum Doctorum testimonijs confirmata, à tantis Regibus ac Imperatoribus acceptata tantisque comprobata persecutionibus, quis non grauissimum, id esse flagitium ac temerariam præsumptionem videat, si proprio cerebro confisus quispiam nullisque innixus fundamentis fidei nostræ articulos in dubium vocare præsumat?

Quærat aliquis: Eiusmodi dubitatio estne hæresis dicenda? Respondeo, Si quis de altera vita, alioue quouis fidei nostræ articulo voluntariè ac pertinaciter dubitet, sciens nimirū eum fidei articulū esse, & ab Ecclesia nobis credendū proponi, hæreseos reus est. Ratio est, quia quicūq; eo modo dubitat, is videtur velle dicere fidei nostræ articulos nō esse certos ac infallibiles, quod grauissimum peccatum, & manifesta hæresis est.

Non abs re alienum fore existimo hîc recensere historiam, quam in epistola ad Euodium scripta recenset D. Augustinus, estque inter historias suas centesima, de Medico quodā, de altera vita dubitante. Dicit ergo S. Augustinus, suo tempore celebrem quendam ac famosum fuisse Medicum Gēnadium nomine, hominem probissimum, & erga pauperes beneuolum maximè ac misericordem; his siquidem non modò

gratis ac ſine mercede medicinam conferebat, ſed & eleemoſynas vltrò impertiebatur, atque ex ſuo eiuſdem ſuſtētabat. Hic aliquando Romæ ſumma cum laude medicinam fecerat, at S. Auguſtino hiſtoriam hanc conſcribente, Carthagine viuens ibidem artem ſuam exercebat, & hæc ipſa, quæ iam dicentur, S. Auguſtino, cui chariſſimus atque amiciſſimus erat, commemorauit. Cum adhuc eſſet adoleſcens, dubitabat, (inquit S. Auguſtinus Epiſt. 100.) vtrum eſſet vlla vita poſt mortem. Huius igitur mentem & opera miſericordiæ, quoniam Deus nullo modo deſereret, apparuit illi in ſomnis cōſpicuus Iuuenis & dignus intendi, eique dixit: Sequere me: quem dū ſequeretur venit ad quandam ciuitatem, vbi audire cœpit à dextera parte ſonos ſuauiſſimæ cantilenæ vltra ſolitam, notamq; ſuauitatem. Tunc intento quidnam eſſet, ait, hymnos eſſe beatorum atque Sanctorum. Siniſtra autem parte quid ſe vidiſſe retulit, non ſatis memini. Euigilauit & ſomnium fugit, tantumque de illo, quantum de ſomnio cogitauit: alia verò nocte, ecce idē ipſe Iuuenis eidem rurſus apparuit, atq; ab illo vtrū cognoſceretur interrogauit: reſpōdit iſte, quòd eū bene planeq; cognoſceret. Tunc ille quæſiuit, vbi ſe noſſet. Nec memoriæ defuit, quod iſte identidem reſponderet,

deret, totumq; visum illud hymnosq; Sanctorum ad quos audiēdos eo duce venerat, qua recentissimos recordabatur facilitate narrauit. Hic ille percontatus est, vtrū nam id quod narrauerat in somnis, vidisset, an vigilans? Respondit, In somnis. At ille: *Bene*, inquit, recolis: verùm est, in somnis illa vidisti: *Sed* etiam nunc, in somnis te videre scias. Hic cùm audisset ista, ita esse credidit, atque id respōsione firmauit. Tunc qui hominem docebat, adiecit, & ait: Vbi est modo corpus tuum? Ille respondit in cubiculo meo. Scis ne, inquit ille, in eodem corpusculo nunc illigatos esse & clausos & otiosos oculos tuos, nihilq; illis oculis te videre? Respondit: Scio. Tunc ille: Qui sunt ergo, inquit, isti oculi quibus me vides? Ad hoc iste non inueniens quid responderet, obticuit. Cui hæsitanti, ille quod his interrogationibus docere moliebatur, aperuit, & continuò, Sicut, inquit, illi oculi carnis tui vtiq; in dormiente atq; in lectulo iacente nunc vacant, nec aliquid operantur, & tamen sunt isti quibus me intueris, & ista vteris visione: ita cùm defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis tuæ vita tibi inerit qua viuas, sensusq; quo sentias. Caue iam deinceps, ne dubites vitam manere post mortem. Ita sibi homo fidelis, ablatam dicit huius rei dubitationem. Quo docente,

nisi prouidentia & misericordia Dei? Hactenus S. Augustinus.

Ex hac historia duæ pulcherrimæ vtilissimæque doctrinæ desumi possunt. Primò magnum ac periculosum errorem esse, magnitudinem & mysteria Dei intellectus nostri capacitate velle metiri, vnde medicus iste inductus fuit, vt de futura vita dubitaret, quia scilicet comprehendere animo suo nequibat, quomodo sine corpore anima operari posset. Multa eiusmodi facit Deus, quæ homo capere aut plenè intelligere nequit: quinimo si naturam ac potentiã Dei intellectus humanus penetrare ac comprehendere posset, iam necessariò sequeretur, Deum non esse Deum, quia non esset infinitus, aut certè infinitum esse intellectum humanum, quorum vtrumque absurdũ est ac falsum. Quare multò satius ac tutius est potentiam diuinam in admiratione habere & reuerentia, neque curiosè nimis inuestigare, quomodo hoc vel illud possit subsistere, ne videlicet contingat nobis quod Sapiens ait in Prouerbijs: Cap. 3. *Qui scrutator est Maiestatis, opprimetur à gloria.* Item in Ecclesiastico eiusmodi nobis datur consiliũ: *Altiora te ne quæsieris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, non est enim tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.*

Altera doctrina hæc est, si quando contra

tra fidem tentari te contingat, ne subitò refrigescas in operibus bonis, sed in ijsdem quàm deuotissimè persiste iuxta exemplum boni huius Medici, neque enim dubium est, quin Deus vel adminiculo concionis alicuius, siue ope cõfessarij, aut spiritualium librorum lectione mentẽ tuam sit illustraturus, sciasq; certissimè Dæmonem eiuscemodi suggestionibus aut tẽtationibus subinde nõ id intẽdere, vt primo statim impetu fidem relinquas aut perneges, sed vt in ea paulatim refrigescas, opera tua bona pedetentìm intermittas, atque eò tandem deducaris, vt consilia ac præcepta diuina parui æstimes, parumque de anima ac rebus similibus sollicitearis: nam qui eò perducitur, difficulter admodum illius manus euadit, at qui contra ipsum victoria potiri volet, certet ac fortiter dimicet necesse est, nec victas præbeat manus. Is verò certare dicitur, qui cunctis Diaboli suggestionibus reluctatur. Ante omnia autem consultum fuerit tentationes omnes Patri spirituali reuelare: fur enim seu latro vbi deprehensus fuerit parabit fugam.

DE MORTE QVAE MEDIVM *est ad alteram vitam perueniendi.*

CAPVT V.

CVM ergo nobis propositũ sit de altera vita disserere, necessariò nobis illius est transeunda porta, id est, dicendum nonnihil de Morte corporali, quæ futuræ vitæ porta est, & quanquam de eadem multa dici possint; ea tamen duntaxat quæ materiã hanc concernunt breuiter attingemus. Ac primò quidem duplicem separationem Mors includit, quarum vtraque afflictione scatet & dolore. harum prima est animæ à corpore separatio, quæ quanta sit anxietate referta, ex sequenti comparatione aliquo modo facilè potest intelligi: si duo amici aut sodales, qui aliquamdiu simul vixêre, non sine maxima molestia ac dolore separari possunt, quantum quæso dolorem ac molestiam accedere hinc animæ putabimus, si à corpore, cum quo tanto tempore tamque familiariter vixit, cogatur diuelli? præsertim cum hæc vnio, præterquã quòd ex naturali inclinatione proueniat, tanta sit, vt omnem etiam quantumuis intrinsecam amicitiam ac necessitudinem vincat & anteuertat. Per consequens igitur etiam terribilissima est hæc separatio, quemadmodum

modum Aristoteles ait in Ethic. & quotidiana quoq; contestatur experientia. *Preterea* incarceratus quispiam cùm à Iudice citatur ad examen timet, ac cum tremore & angustia è carcere egreditur: similiter & anima, quamuis è corpore quasi è carcere egrediatur; nihilominus tamen, quia Iustissimi Iudicis tribunali se sistendam esse nouit, tristitia afficitur & dolore, incerta scilicet qua sorte aut conditione postmodum sit fruitura. Demũ anima cùm à corpore separatur, à Dæmonibus inimicis & accusatoribus perterretur, simulque à verme conscientiæ torquetur, qui intrinsecùs illam mordet ob commissa flagitia. Vnde Apostolus Paulus Peccatum vocat stimulum Mortis, quippe quod acrius pungat conscientiam quàm ferrum quoduis acutissimum. Atque ita propter has aliasque plures causas eiusmodi separatio non potest non esse omni anxietate & dolore refertissima.

Altera separatio ea est, qua separatur homo à bonis hisce mundanis, quæ quantò in hac vita illi extitêre chariora, tantò maiora in hac separatione ipsi adferent tormenta, sicut in Ecclesiastico dicitur: cap. 41. *O Mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis!* Si ergo sola Mortis memoria amara est in ijs qui huius vitę bonis dediti sunt, quid de ipsa morte futurum

cre-

credemus? si inquam ab vna aliqua re duntaxat amata separari molestum homini est & tædiosum, quanta obsecro afflictio erit ab omnibus simul huius vitæ bonis, à parẽtibus, à liberis, ab amicis, à patria, diuitijs ingenti molestia acquisitis, ab alijs facultatibus ac commodis maxima sollicitudine comparatis, ab honoribus demum & omnibus huius vitæ pompis separari? quinimo si à re quapiam amata & chara ad tempus tantùm auelli summè molestum est, quid de eo futurum existimes, qui contra voluntatem omnibus illis rebus priuetur, quibus in hac vita sit oblectatus, idque omni spe earundem rerum aliquando iterum perfruendarum præcisa?

Ex quibus iam dictis manifesta fit triplex filiorum huius mundi stultitia ac vanitas, quarum prima eorum est, qui ad res temporales & caducas huius vitæ nimis affecti sunt, quas certè constat esse relinquẽdas, eoque grauiores allaturas afflictiones, quò maiori eas amore fuerint complexi. Nunquid insignis stultitia est hominẽ cor suum caducis hisce rebus astringere, à quibus plus tormenti quàm consolationis expectet, quisque ex hac vita emigrans non nisi summo cum dolore & molestia relinquere cogatur? Nunquid stultitia est à Deo, in quo sola quies, cor suum auersum, eius-

modi

modi rebus apponere, quæ tantopere nos inquietant, occaſionemque præbent malè viuendi, peius verò moriendi? Cuius rei cùm plurima habeantur exempla, vnicum illud ſaltē nobis adduxiſſe ſuffecerit, quod in Quadrageſimali ſuo de homine quodā prædiuite, ſed diuitijs plus æquo addicto refert Magiſter Robertus Licius. Hic morti vicinus maxima afficiebatur anxietate, quòd tantas ſibi diuitias iam cōgeſtas videret eſſe relinquendas, & nunc in hanc nunc in illam lecti ſpondam ſe voluens ſuſpirabat, nonnunquam etiam leonis inſtar rugiebat. Dictus ergo Magiſter Robertus, qui tunc ei aderat, exhortari eum cœpit, vt animæ ſuæ prouideret, iam ſcilicet tempus eſſe confitendi, communicandi, ac reconciliandi ſe Deo. Ille verò totus terrenis ac temporalibus bonis ſuis intentus: O quantum, inquit, inſumpſi moleſtiarum, ad conquirendas haſce diuitias, & nunc alij ijs perfruentur? Magiſter Robertus nihilominus eum admonere vt de anima ſua (quod id pluris referret) ſolliceretur, reliquarum omnium rerum cura & cogitatione ſepoſita.

Sed nimius ille erga diuitias affectus aliò eum cogitationes ſuas vertere non permiſit, quare in priori perſiſtens ſententia: O diuitiæ meæ, inquit, quibus vos relinquo

linquo? quis vos poſſidebit? atque ita citra confeſſionem miſerrimè expirauit.

Alius quidem in ciuitate Conſtantienſi tanto affectu pauculos quos habebat nũmos proſequebatur, vt cùm in morbum incidiſſet, ne quid ex dictis nummis expendere cogeretur, ad hoſpitale ſe conferret, vbi ingraueſcente iam morbo, die quadam polentam ſibi porrigi iuſſit de ſimilia, atque in eam nummulos ſuos proiecit, deinde ſumpto cochleari vnà cum ipſa polenta, inſtar hominis mente capti, ipſos ſimul nummos inglutiuit, à quibus continuò ſuffocatus vita priús exceſſit quam polentã exedit. Exemplum hoc in Formicario ſuo tradit Ioannes Niderus.

Altera vanitas & ſtultitia filiorum huius Mundi hæc eſt, quòd cũ certò ſciant animã hominis nihil hinc aſportaturam, præterquam quòd benè vel malè geſſerit, pro bonis præmia, pro malis verò operibus dignas & promeritas pœnas receptura; nihilominus tamen ad perpetranda mala tam faciles ſint, ad bona verò adeò tardi ac difficiles An non, inquam, inſignis ſtultitia eſt illis potius rebus incumbere, quas ſubitò relinquere cogaris, quàm quas aſportare tecum licebit in theſaurum perpetuò duraturum? Circumſpectus ac prouidus Mercator ijs potiſſimum rebus nauem ſuam onerat:

rat, quæ in ciuitate, ad quam ipse tendit, maximi sunt valoris ac pretij. Cùm ergò in altera vita, ad quam omnes properamus, nullius sint pretij honores, dignitates, & opes huius seculi, contrà verò permagni deuotio, pœnitentia, & misericordiæ opera æstimentur, nonne stultitia & insania maxima est, bonis sese temporalibus onerare, quæ in altera vita in nulla futura sunt æstimatione, opera autem pietatis, quæ ibidem æterna gloria compensabuntur, negligere prorsus ac flocci facere?

Tertia stultitia eorum est, quæ vt liberis ac nepotibus suis diuitias ac facultates plurimas relinquant, animas suas peccatis aggrauare non verentur. Incumbere enim diuitijs congerendis quibus ipsi postmodum fruamur; res videtur aliquo modo toleranda: verùm ad extremum vsque spiritum aliorum causa diuitijs & opibus, quibus ipsi frui nequeamus, acquirendis inhiare, manifesta mihi videtur insania, maxima verò illorum, qui vt liberis suis diuitias relinquant, Deum offendere & propriæ animæ iacturam facere non verentur. Nam diuitiæ malè conquisitæ in perniciem & ruinam pariter sunt tam ijs qui easdē acquisiuêre, quam quibus eædem relinquuntur, veluti apertè demonstrat exemplum sequens ex Speculo exemplorum dist. 9 § 214, desum-

ptum de Vsurario quodam eiusq; filio, cui Pater sedens in Inferno, dicebat: Fili, maledicta sit hora in qua te genui, quidquid pro te feci sit maledictum, quia propter te factus sum vsurarius, vt tu in hoc seculo in abundantia remaneres, & multa alia dicebat filio maledicendo. Filius verò è conuerso dixit Patri: Maledicta sit hora in qua genuisti me, quia me non docuisti Dei præcepta, nec facere pœnitentiam, nec audire verbum Dei, nec alia bona, sed docebas me superbire in vestibus, in moribus, & falsas venditiones & operationes, & sic de alijs, & non me corripuisti de multis malis meis, & ideò damnatus sum in Inferno. Præsens igitur caput dubij cuiusdam magni momenti, (quippe quod animarum nostrarum salutem concernit) enodatione concludam: Sitne videlicet bona ac grata Deo pœnitentia ad mortis vsque articulum dilata ac producta? Idemque, an anima per talem pœnitentiam de salute sua secura ad alteram vitam transmigret, per pœnitentiam hoc in loco peccatoris conuersionem ad Deum intelligendo? id est, an sufficiat peccata omittere ac detestari, & reconciliari cũ Deo Creatore suo? Ad quod dubium dissoluendum duo dico esse obseruanda. primò in articulo mortis aliquem veram ac salutarem habere posse pœnitentiam

tiam

tiam, idipſum dicente & comprobante S. Leone in epiſtola ad Theodorum. Et qui cum tali pœnitentia ex hac vita emigrat, ſecurus abit, veluti clarum ac manifeſtum ex boni illius Latronis exemplo euadit, qui morti vicinus paradiſum nôrat quaſi per violentiam rapere: peccatum enim ſuum confitendo ac de eodem pœnitentiam agendo ſaluatus eſt. Secundò dico, non omnem eam pœnitentiam, quæ ad mortem vſque differtur, veram ac ſalutarem. Huius rei plurima extant exempla, quorum vnum duntaxat, quod Pariſijs accidit, commemorabo. Canonicus quidam Cathedralis Eccleſiæ omni genere delitiarum affluens, ſubinde gulæ peccatum delinquebat, qui cùm peccatorum ſuorum confeſſionem, vitæque emendationem longum tempus diſtuliſſet, tandem in morbum lapſus, metu mortis confeſſus eſt, ſimulque alijs Eccleſiæ Sacramentis perceptis, ad extremum mortuus eſt, & honorificè cum ſolenni pompa ſepultus, quippe qui nobilis erat, & multis diuitijs circumfluens. Dies exequiarum erat ſereniſſima, vnde plerique ipſum in ſingulari apud DEVM fauore ac gratia fuiſſe arbitrabantur. Paucis poſt diebus cuidam amicorum apparens, damnatum ſe aſſeruit, Qui ait: Quomodo? nonne Eccleſiæ Sacramenta recepiſti?

Verùm

Verum est, inquit ille, sed mero mortis timore ea recipi, & nisi è viuis decessissem, ad priores meas redijssem delitias. Horum exemplorum infinitus est numerus, quæ breuitatis causa omitto.

Ad plenam ergo & veram huius difficultatis enodationem operæprecium videtur diuina illa S. Augustini hîc recensere verba desumpta ex libro 50. homiliarum, Homilia 41. in qua de pœnitentia agitur, dist. 7. cap. *Si quis.* vbi sic inquit Sãctus ille Doctor: *Si quis positus in vltima necessitate suæ ægritudinis, pœnitentiam accipit, & hinc vadit, fateor vobis, non negamus illi quod petit, sed nõ præsumimus quòd benè hinc exit, si securus hinc exierit, ego nescio; pœnitentiam dare possumus, securitatem dare non possumus: nunquid dico damnabitur? sed nec dico liberabitur.* Subiungit deinde idem S. Augustinus hæc verba, quæ saluberrimum in se continent consilium: *Vis ergò, inquit, à dubio liberari, age pœnitentiam dum sanus es: si sic agis, dico tibi quòd securus es; quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti; si autem vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis. p. 14. cap. 5. admodum benè eidem dubio respondet dicens: *Valdè suspecta debet esse pœnitentia quæ sera venit, & coacta esse videtur, facilè est, vt homo*

homo se nolle putet, quod posse non datur: possibilitas optimè voluntatem probat, si non facis dum potes, manifestè ostendis quòd non vis.

QVAM PERICVLOSVM SIT AD *alteram vitam securè transire volenti differre conuersionem.*

CAPVT VI.

SVperest nunc, vt quanta quamque periculosa eorum sit insania demonstremus, qui pœnitentiam & conuersionem suam de die in diem differunt. Ac primò quidem extra omnem est controuersiam, nihil esse vnquam quod gratum æquè homini esse debeat, aut maioris momenti, ac animæ propriæ salus, vt propter quam ipse filius Dei de cælo in terram descendens homo factus, vitam hìc in terris egerit, ac demum etiam mortem perpessus sit. Deinde etiam apud omnes in confesso est, peccatorē qui in peccato moritur mortali absque pœnitentia, ita condemnatum esse, vt nulla amplius spes recuperandæ salutis supersit. Tertiò certissimum est, peccatori, vt à periculis animæ liberetur, vnicum tantum esse remedium, si videlicet ad Deum conuertatur, de peccatis pœniteat,

eademque confiteatur. Quartò & vltimò extra omnem dubitationis est aleam, & cũ-ctis manifestum, neminem ne vnum quidem vitæ annum sibi polliceri posse, quid dico annum? imo ne mensem quidem aut vnam solùm horam, quippe cùm quolibet momento mori possimus.

Quænam igitur maior queat esse stultitia, quàm conuersionem suam ad Deum cũ periculo perditionis animæ procrastinare, qua nihil homini debet esse antiquius aut preciosius? Quid mirum porrò, si Deus in tantæ obstinationis aut pertinaciæ pœnam permittat eiusmodi homines tantas angustias incurrere, vt vel quod facere debebant non faciant, vel si faciant, saltem non ita vti fieri oportebat perficiant. Exẽplum aliquod referam ab hoc proposito nõ alienum. Narrat Abbas Sabinensis Vsurarium quendam à *Pastore* suo aliquoties ad agendam pœnitentiam commonitum fuisse, quam cùm de die in diem distulisset, ac iam iamque se facturum, iam verò satis adhuc temporis superesse respondisset, tandem in grauem morbum incidit, actum quidem denuò vrgente Pastore, vt pœnitentiam ageret, faciam inquit, sed aliàs. *Pastor* reuertitur, iterumque ad faciendam pœnitentiam ægrotum exhortatur, respõdet ille, nondum se esse paratum, demum

cò res

eò res deuenit, vt, quotiescunque Pastor eum excipiendæ Confessionis caussa accederet, ipse animi deliquium pateretur, cumque vehementius eum Pastor vrgeret videns miserrimam illius animam periclitari, quasi expostulabundus ei reclamauit: O pœnitentia vbi es? non possum amplius pœnitere, cùm enim possem, nolui, atque ita miserabiliter expirauit.

Alia demum & quidem maxima stultitia eorum, qui ad faciendam pœnitentiam senectutem expectant, ac tunc quidem proponunt confiteri, vitam mutare, & satisfacere pro peccatis. O diabolica insania quot & quantos decepisti, qui cùm similes cogitationes simileque propositum habuerint, nunc inferni tormenta & cruciatus experiuntur! Age frater charissime, quis te certum reddidit, fore, vt ad senectutis annos pertingas? Deus quidem remissionem peccatorum tibi promisit, si pœnitētiam agas, sed tēpus aut vitam non promisit. Quis scit an nō idem accidet tibi quod diuiti isti euenisse Sanctus Lucas commemorat, cap. 12. qui multa bona congesserat, ac animæ suæ dicebat: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte; hac nocte animā tuam repetā à te, quæ autē parasti, cuius erūt?* Si ergo incertus es vtrū crastina die sis

superuicturus, quomodo tibi promittis senectutem? si eo tempore non benè vtaris quod Deus tibi concedit, quomodo vis, vt ad senectutem vsque tibi vitam prolonget? Temporibus Noë viginti annos Deus abstulit ijs populis, qui tempore ac spacio ad diluuium vsque sibi concesso non rectè sũt vsi, & tu tempus à Deo expectas, vt eundẽ offendas? Vnde porrò certus es, fore vt in senectute vitam in melius commutes? nam multi reperiuntur, qui pertinaciores sunt senes, quàm erant adolescentes, propter habitum iam in malis confirmatum, multoque subinde ad benè operandum sunt tardiores, quàm erant iuuentutis tempore. Verùm ponamus Deum tibi concessurum vt in decrepitam ætatem vitam extrahas; ponamus item certò te scire, fore vt tunc in melius vitam commutes, sanctitate clareas, & infallibiliter ęternam salutem consequaris; nihilominus tamen dico pessimè te facere pœnitentiam, conuersionem tuam differendo, propterea quòd quicunque peccato mortali obnoxius est, Dei inimicus est & rebellis, extra gratiam eius constitutus, & eundem contumelia afficit & offendit. Iamne rectum tibi videtur in inimicitia & rebellione contra Deũ persistere? æquumne censes Creatorem tuum offendere, sanctissimæ illius volũtati resisteudo? qui con-
uersionem

uersionem tuam tam impensè desiderat, idque tui commodi causa, quemadmodũ id ipsum per Ezechielem cap. 18. subindicat dicens: *Nolo mortem impij, sed ut conuertatur impius à via sua, & viuat.* Item Ecclesiasticus inquit: *Non tardes conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Præterea, cùm tota vita tua multis nominibus Deo Creatori tuo sit obligata & obstricta, quo tandem prætextu præstantiorem eius partem in peccatis & illecebris mundanis consumes, peiorem verò, quæ senectus est, in qua ne mundo quidem aptus es, Deo dabis? Ita scilicet mulierculæ nonnullæ facere consueuerunt (vt exemplo vtar humili quidem, attamen proprio & ad rem accommodato) quæ cùm vestibus suis ad omnes mũdi vanitates & huius vitæ delicias abutantur, tandem inueteratas iam & penè attritas (quando videlicet ijsdem amplius vti pudet) in Ecclesiarum atque altarium vsum & Dei cultum erogant atque elargiuntur. At non ita Sancti illi *Patriarchæ* fecêre qui in sacrificijs suis optimos quosque fructus, agnosque pinguiores Deo offerebãt. Quod tamen non ita dictum velim, quasi bonum nõ sit in senectute ad Deũ conuerti, sed hoc tantùm dico, satius ac Deo lõgè gratius esse in tempore de peccatis pœnitẽtiam agere,

non autem de die in diem cum summo periculo eandem differre ac prolongare.

Sunt alij qui ad mortis vsque articulum conuersionem ac pœnitentiam suam prolongant, cùm scilicet securè hinc ad alterã illam vitam erat emigrandum. Et horum certè non exigua est insania. Vnde securus es, frater charissime, fore vt ægrotus existens, & iam quasi morti vicinus veram possis instituere confessionem, & perfectã agere pœnitentiam. O quàm multos vana hac spe Diabolus inescauit! Fallitur quisquis in præsentiarum non facit, quod fecisse se iam morti vicinus optaturus est. Si nihil aliud solũ id, quod modo dicturus sũ, sufficiet ad probandum perspicuè conuersionis dilationem ad mortem vsque, nihil aliud esse præter stultitiam ac vanam Diaboli illusionem. Experientia ipsa manifestè docet, eum, qui alioquin in oratione exercitatissimus est in infirmitate positum vix mentem ad Deum eleuare posse, vixq; semel Angelicam recitare Salutationem, vt interim sileam tædio ac fastidio ipsum affici, quoties de rebus ad animam pertinentibus cogitare tantum proponit; & tũc tu exactè scilicet tuam examinare vis conscientiam? tum opera vis exercere contritionis? tum demum peccata tua acuratè vis confiteri? Certo certiùs elucet plus animi

mi tibi esse quã prudentiæ quippe cùm pœnitentiam tuam differas ex vecordia magis quàm spe eandem melius faciendi. Cùm peccare amplius non poteris, peccatum relinquere vis. nonne vides tunc peccatum te, non te delinquere peccatum? Scito, frater charissime, Diabolum hac ipsa confessionis tuæ dilatione nihil aliud quærere, quàm vt indies peccatorum tuorum cumulo magis magisque augescente, in ipso demum mortis articulo ad desperationem adigaris. In hoc nimirum totus est Diabolus, atque id multis euenisse diuersis probari potest exemplis, quorum hîc vnicum duntaxat commemorabo, quod in Anglia accidisse fertur. Tempore Conradi Regis miles quidam erat Regi ob fortitudinem & rei militaris experientiam imprimis charus, at vitæ valdè dissolutæ, parumque de anima sua sollicitus. Hic aliquoties, vt relictis peccatorum sordibus vitam in melius mutaret, ab ipso Rege admonitus fuit: at ille parui faciens eiusmodi admonitiones, delicijs ac voluptatibus, prout antè consueuerat, indulgere perrexit. Denuò admonetur à Rege, peccata sua confiteretur & pœnitentiam ageret, mortem superuenire posse, quæ tempus & occasionem pœnitentiæ præcluderet. Regis admonitioni se pariturum verbis quidem pollicebatur, verũ

factis eam complere distulit. Quid factum? Corripitur vehementi febri miles, visitat eum Rex, & more solito denuò ad pœnitentiam & confessionem adhortatur priusquam malum ingrauescat: ille contrà procrastinare, & de die in diem confessionem protrahere. Regi verò, vt festinaret sollicitanti, quòd esset periculum in mora, respōdit miles se simulatque conualuerit peccata sua confessurum: non enim decere se sibique similes ita subitò confiteri, ne videlicet iam confessum illum metu mortis consternatum reliqui milites suspicarētur. Reuertitur ad illum sequēti die Rex, iterumq; ad confessionem exhortatur, cui miles veluti furore correptus: Iam, inquit, de anima simul & corpore meo actū est. Quomodo? ait Rex, cui miles: Paulò antè inquit duo pulcherrimi iuuenes astitêre paruulum mihi libellum ostendentes, in quo descripta erant opera mea bona admodum pauca; mox alia nescio quæ horrenda ac terribilia monstra introierunt, quæ magnæ mihi molis librum peccatis meis repletum exhibuêre, propter quæ iam condemnatus & æternis destinatus sum cruciatibus, ita vt nec confessione, nec communione, nec vllo alio modo iuuari possim. Atque ita peccatorum suorum multitudine consternatus ac in desperationis præcipitium delapsus miserè expirauit.

DE

DE MORTE QVATENVS *pœna est peccati originalis.*

CAPVT VII.

MOrtem ceu pœnam primæuo nostro Parenti Adamo præstitutam ac constitutam fuisse, si præceptum de non comedendo pomo transgrederetur, ex sacra Scriptura manifestum est Gen. 2. *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Quod de morte corporali intelligitur, vnde subitò ex Paradiso terrestri pulsus fuit Adamus, ne scilicet de arbore vitę comederet, & mortem effugeret corporalem. Hoc modo illud exponit S. Augustinus lib. 13. c. 23. de ciuit. Dei: *Intelligimus mortem istam manifestam, quæ fit animæ à corpore separatio.* Illud ipsum ex Apostolo Rom. 5. & Concilio Tridentino colligitur, Sess. 5. quanquam non desint qui de animæ morte spirituali id intelligēdum existiment, nam dum quis peccat, separatur à Deo à quo vitam habet, gratia eiusdem mediante.

In hoc capite dubia nonnulla occurrunt quorum primum est, qui fiat, vt in pœnam peccati originalis Deus mortem potius corporalem, quàm Inferni tormenta, vel alia huius vitæ incommoda constituerit? pro cuius dubij solutione variæ afferri pos-

sunt causæ. Prima est, quòd mors omniũ huius vitæ malorum pœna sit grauissima, quippe cuius sola memoria terribilis est, vt in Ecclesiastico cap. 41. scriptum reperitur: *O mors quam amara est memoria tua!* Secunda causa est, quòd Deus nostri misertus eiusmodi pœnam ordinare voluerit, quæ à peccato nos retraheret, talis verò mors est; vnde S. Scriptura inquit: Eccl. 7. *Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis.* Tertia causa est, quòd Deus, qui (vt Propheta Habacuc cap. 3. ait) quoties irascitur, toties recordatur misericordiæ suæ, vt occasionem haberet exercendi erga nos misericordiam suam, talem constituere voluerit pœnam, quæ ad animæ salutem consequẽdam nobis conduceret, effectusque produceret contrarios ijs quos producit peccatũ. Iam peccati proprium est hominem separare à Deo, à quo tota eius salus dependet, vnde Isaias cap. 59. inquit: *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrũ;* mors verò quasi è diametro contrarium agit, id est peccatorem, vt ad Deum redeat, stimulat ac incitat, hinc fit, vt nunquam tantum de salute sua cogitet homo, aut de conciliatione cum Deo Cratore suo, quàm cùm morti vicinus est. Hanc ob causam Deus in in primi peccati pœnam non alia ista vitæ incommoda constituit, nempe æstum, frigora

gora, defatigationes, ægritudines, aliaque id genus mala, propterea quòd omnia ea quasi ex morte nascantur, & ad eam dispo- nant; quare & aliquo modo sub ipsa comprehenduntur. Deinde ista pœna non esset æqualis futura in omnes posteros, qui tamen æquè participant de peccato originali: Principes enim aliíq; potētiores ab hac pœna facili negotio se defendere ac tueri potuissent, at mors communis est omnibus, *& sceptra ligonibus æquat*, vt inquit Poëta.

Neque sanè Adamum inferni pœnis ab inobediētiæ peccato absterrere voluit Deus: quamuis enim istæ pœnæ morte corporali longè sint terribiliores; nihilominus tamē mors, quia sensibilis est, aptior & conuenientior est ad mouendum hominem quā Infernus, nam tantò magis vnumquodq; malum mouet ac perterret, quantò manifestius est. Cùm ergo manifesta atque euidentissima res sit mors, hinc fit, vt plus illa moueat, quàm ipse Infernus, qui non videtur sed fide tantum comprehenditur. Simili modo S. Ioannes argumentatur in priori sua epistola, cap. 4. vbi agit de charitate; *Qui enim*, inquit *non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt: quomodo potest diligere?* Præterea cū de peccato originali æqualiter omnes posteri participent ab Adamo, necesse etiam erat

nam omnibus planè esse æqualem ac communem, quod fieri minimè potuisset, si pœnas inferni Adamo Deus comminatus fuisset, eas enim multi pœnitentiam agendo subterfugissent, at mortem corporalem nemo vnquam euasit aut euadere poterit. Vnde S. Paulus cap. 9. ad Hebræos ait: *Statutum est omnibus semel mori*. Et Psalmista *Psal* 88. dicit: *Quis est homo qui viuet & non videbit mortem?*

Alterum dubium est, Adamus non est mortuus ea ipsa die, qua pomum illud vetitum comedit, quin 930. annos vixit post designatum peccatum originale, quomodo ergo verum fuit, quod Deus dixit, ea ipsa die moriturum esse, in qua de arbore illa vetita comederet? Respondeo, ideò nōnullos in hac esse sententia, nimirum non fuisse mortem corporalem, quam Deus Adamo comminatus sit, sed spiritualem, quę consistebat in priuatione gratiæ ac iustitiæ originalis, quam ea ipsa die ac momento Adamus incurrit, qua peccauit. Nos verò in principio huius capitis diximus mortem fuisse coporalem quam Adamo Deus comminatus est, quæ in animæ & corpore separatione consistit. Iustinus in dialogo cum Triphone, & Irenæus in lib. 5. contra hæreses aiunt Adamum illa die, qua peccauit, mortuum fuisse, per diem verò (inquiunt illi)

illi) non intelligitur dies nostra, quæ est 24. horarum, sed dies Domini, quæ durat mille annos, cui astipulatur illud D. Petri: *Mille anni sicut dies vnus.* Et illud Dauidis: Psal. 89. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna.* Si ergo dies Domini durat mille annos, Adamus autem ante millesimum annum mortuus est, ergo mortuus est eadẽ die qua peccauit. Sed expositio ista præfracta nonnihil & ab historico Moysis stylo videtur esse aliena, nam per diem communiter dies nostra intelligitur, quemadmodũ & Moyses omnibus alijs in locis per diem, nostram diem intelligit. Alij ergo hoc modo exponunt: In quacunque die comederis de pomo, *morte morieris*, id est, mortalis eris, peccando enim priuilegium illud perdes immortalitatis, & morti eris obnoxius. In hac opinione est S. Hieronymus in libro traditionum hebraicarum super Genesin, vbi Simacum laudat, qui in locum *morieris*, posuit *mortalis eris*. Theodoretus Quæst. 38. in Genesin dicit, Scripturam hoc in loco mortem appellare mortis decretũ, & sententiam mortis, & quoniam Adamus ea ipsa die, qua peccauit, morti fuit adiudicatus, propterea dici potest eum ea ipsa die mortuum fuisse. S. Augustinus lib. 13. c. 13. de ciuitate Dei dicit Adamo, quanquam in statu innocentię priuilegium habuerit non

moriendi, nihilominus tamen ad conseruandam vitam necessariam fuisse Arborẽ vitæ, vnde dici potest Adamum, quando priuatus fuit arbore vitæ, mortuum fuisse, deficiente enim eo, quod ad vitã conseruãdam erat necessariũ, subitò incurrit necessitatem moriendi. Quoniam ergo ea ipsa die, qua peccauit Adamus ex paradiso terrestri eiectus, & arbore vitæ priuatus fuit, hinc dici potest, eadem die illum mortuum fuisse. Alij dicunt Adamum illa die, qua peccauit, mori incepisse, post peccatum enim subitò corpus eius alterari cœpit pudore, æstum & frigora sensit, aliasque contrarietates, quæ dispositiones sunt ad mortem. In hac sententia est Benedictus Pererius super hoc loco Geneseos: Omnes hæ quatuor expositiones bonæ sunt, quamuis idem dicant aduersis modis.

Tertium dubium est: Si mors naturalis est humani corporis conditio, quòd idipsum ex contrarijs conflatum sit, quomodo ergo erit pœna peccati? Pro declaratione tam huius, quàm multorum aliorum dubiorum ad hanc materiam pertinentium, aduertendum est, primò, verissimum esse corpus Adami etiam in statu innocentiæ & ante commissum peccatum intrinsecus fuisse mortale, veluti capite primo insinua-

uimus. quia scilicet ex contrarijs compositum erat, status autem innocentiæ non sustulit à corpore humano conditionē hanc naturalem & intrinsecam mortalitatis, quia non tollebat ipsius causam, quæ erat compositum esse ex contrarijs. Dico secundò, extrinsecus etiam ex suppositione fuisse mortale: si enim Adamus aut Eua in statu innocentiæ in ignem aut profundam aliquam foueam incidissent, procul dubio mortui fuissent. Tertiò dico, quòd in statu innocentię corpus Adami & posterorū debuerit esse immortale, vel, vt melius dicā, nunquam moriturum per donum scilicet immortalitatis quod Deus illi donauerat simulque per donum iustitiæ originalis, quod donum immortalitatis consistebat in hoc. Primò, quia calor naturalis & humidum radicale (ex quorum defectu venit mors) nunquam defecissent, conseruabantur enim illa ac restaurabantur fructu arboris vitæ, cui talem virtutem Deus indiderat. Præterea homines in eiusmodi statu nullum commisissent excessum ex quo complexio aut sanitas illorum vllo modo alterari potuisset: nam oēs in eo statu perfectā omnium rerū habituri fuissent cognitionē, quid itē sibi profuisset aut obfuisset, perspexissent, vnde quod prodesset, nō quod obesset, absq; dubio omnes elegissēt;

extrin-

extrinſecus verò à Deo conſeruati fuiſſent miniſterijs Angelorum ab omnibus ijs accidentibus, quæ mortis aliorumue malorũ præbere cauſam potuiſſent, neq; mali quippiam homini ab homine fuiſſet metuendum, inter omnes enim pax & charitas ſincera futura fuiſſet & amicitia non ficta, omni auiditate lucri quàm lõgiſsimè remota. Neque *D*æmonia quiſquam timuiſſet, vtpote quibus in ſtatu innocentiæ Deus nõ erat permiſſurus homines tentare aut perſequi. *P*rotectione denique diuina & cuſtodia Angelorum nullus hominum in ignẽ, vel aquam, aut alium quempiam locum cecidiſſet, vnde mali aliquid contrahere potuiſſet, neque vlla beſtia, quantumuis venenoſa, cuiquam hominum in hoc innocentiæ ſtatu nocuiſſet.

S. Auguſtinus libr. 13. cap. 2. & lib. 14. cap. 10. & 26. de ciuitate Dei, miris laudibus ſtatum illum innocentiæ exornat, dicitque inter alia, quòd non tantum non mori, ſed nec ſeneſcere quiſpiam debuerit, neque futuras ibi fuiſſe vllas ægritudines aut miſerias, quemadmodum enim, inquit ille, in *P*aradiſo terreſtri nec æſtus erat, nec frigus; ſed nec in eiuſdem inhabitatoribus vlla erat futura triſtitia, ſed ſemper gaudium & lætitia. S. Gregorius in Moralibus ſuis: lib. 4. cap. 26. *Si Adamus,* inquit, *non peccaſſet, ad cæle-*

cælestem Angelorum patriam quandoq; sine carnis morte transiret: id est, absque morte alioue incommodo homines à Deo in cælos fuissent translati, ibidemq; in perpetua gloria vitam suam produxissent. Atque hoc ipsum omnes etiam alij SS. Doctores affirmant.

Iam quod ad dubium propositum attinet, sic respondetur, nempe hominem duobus modis considerari posse, primò secũdum naturam suam & constitutionem naturalem, atque hoc modo mors illi naturalis est, non aliter quàm reliquis omnibus animantibus, & in homine non pœna est, sed conditio quædam proueniẽs à corpore materiali ex contrarijs composito; Secundo consideratur homo quatenus est præditus dono immortalitatis, quòd à Deo illi datum est in statu innocentiæ, in quo si nõ peccasset, semper viuere potuisset, & absq; mortis gustu in cælum transire ad viuendã vitam beatam & gloriosam. Sed quia peccauit Adamus, cui datum erat priuilegium immortalitatis, tam ille quàm omnes eius posteri priuilegium istud immortalitatis perdiderunt. Hinc est quòd morti obnoxius factus fuerit, atque idcirco mors pœna peccati est: si enim nulla fuisset culpa peccati, non etiam subsecuta fuisset mors quæ est pœna peccati. Atque hoc illud est, quod

S. dicit

S. dicit Scriptura, per peccatum mortem intrasse in hunc mundum, adeò vt quando dicitur mortem peccati pœnam esse, non existimandum sit, quasi Adami corpus humanum creatum sit mortale, ex quo ipse peccauit, ante peccatum enim intrinsecus erat mortale, vt supra dictum est; sed pœna dicitur peccati propterea quòd per peccatum Adamus & tota humana natura priuata fuerit priuilegio immortalitatis. Ex hac occasione prouenit mors, & regnare cœpit in Adamo eiusque posteris.

Ex dictis manifesta fit quarti dubij solutio, videlicet, sitne ex peccato originali nata mors? id est, num Christus & Beata virgo, qui originali peccato subiecti non fuêre, morti nihilominus fuerint subiecti? item an de facto mortui sint? Respondeo iam dictum esse corpus humanum intrinsecus semper fuisse morti subiectum, ita tamen vt in statu innocentiæ per gratiam & priuilegium diuinum nunquam fuerit moriturum, hoc priuilegio amisso, totum genus humanum mortale remansit, quale erat ex sua natura, ita vt mors in omnibus Adami filijs appellari debeat conditio quædam humani generis, aut vt melius dicam, defectus quidã naturalis. In ijs porrò, qui in peccatũ originale lapsi sunt, duplex habet nomẽ, appellatur enim & defectus naturalis, pœna

pęna simul peccati. In Christo igitur & sanctissima eius Matre, quoniam originale peccatum non contraxerunt, mors pœnę nomen habere nō potuit, quòd in illis nulla extiterit culpa, quæ causa mortis est, sed nomē habet duntaxat cōditionis naturalis.

Quintum dubium est; sitne mors meritoria nec ne? id est: An quis mortem acceptās, eo quo decet modo mereatur aliquid nec ne? Respondeo, quamuis mors necessarium malum sit, & omnibus commune, nihilominus tamen, vt impijs pœnam & dolores, sic bonis meritum & consolationem apportat. Et hæc S. Augustini doctrina est lib. 15. c. 8. de ciuitate Dei, vbi dicit: *Quemadmodum iniusti malè vtuntur non tantùm malis, verum etiam bonis: ita iusti benè vtuntur non tantùm bonis, sed etiam malis.* Ergo quicunq; morte benè vtuntur, id est, cū patientia eam acceptant, sine dubio merentur. Huic etiam doctrina S. Concilij Tridentini Sess. 14. ca. 9. conformis est, quod docet Deo nos satisfacere posse non tantum pœnis vltro acceptatis, aut à Confessario pro peccatorum satis factione nobis impositis, sed ipsis etiā flagellis temporalibus à Deo nobis immissis, si modò ea qua par est patientia toleremus, adeò vt morte etiam, quæ pœna & flagellum est temporale, mereri ac satisfacere possimus, si duntaxat eo quo decet modo acceptemus,

QVOT

QVOD ET QVALES SINT LOCI *in altera vita ad quos animæ post mortem demigrent.*

CAPVT VIII.

NON sine ratione & experientia S. Iob præsentem hanc vitam militiam appellauit dicens: *Militia est vita hominis super terram*, quanquam septuaginta Interpretes in locum *Militiæ* posuêre *tentationem*, volentes significare vitam hanc continuã esse tentationem ac probationem. Vtrumque verum est, nam sicut in bello multa toleranda sunt, ac fermè nulla concedetur quies maximè vicino aut appropinquante iam hoste: sic & in hac vita ingentes labores, ac incommoda supportanda sunt, & quoniam inimici nostri non vicini tantũ, sed & in nobis sunt, idcirco semper decet esse vigilantes, semperque pugnare, quia ab ijsdem nocte dieque impugnamur. Hinc S. Paulus Ephes. 6. ad armandum nos commonefacit, quia bellum nobis est non solum cum carne & sanguine, sed & cum potestatibus ac principibus tenebrarum. S. Petrus quoque in priore sua epistola cap. 5. ad sobrietatem nos adhortatur & vigilantiam dicens: *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.*

Si ergo illi, qui in hac vita fortiter pugnant, difficulter inimicorum dolos euadũt, quid de ijs futurum, qui viuunt quasi nullus omnino inimicus, aut nullum instet periculum? quid inquam de his dicendum, qui absque vlla sollicitudine requiescunt, nullaque de re minus quàm de pugna cogitant? Certè aliter euenire his non potest, quam Isboseth filio Saul, 2. Reg. 4. qui de media die in lecto suo securè dormiens ab inimicis occisus fuit Sacra attestante Scriptura. Neque sanè quicquam est, quòd æquè hominem decipiat ac nimia securitas. Vnde quinque isti exploratores in libro Iudicum, vt socios suos ad inuadendum ciuitatem Lais redderent animosiores, populum ciuitatis illius securum esse dicebant & absque omni timore: *Ascendamus ad eos,* inquiunt, *intrabimus ad securos.* & factum est ita, nam spolijs omnibus ablatis, populoq; occiso, ipsam etiam ciuitatem incendio absumpserunt.

Præterea vitam hanc tentationem quãdam esse, veluti Interpretes septuaginta vertere, clarum est ac manifestum, quippè cùm in hac lachrymarum valle nemo vnquam à laboribus, persecutionibus, alijsque tribulationibus, quibus electos suos probat Deus, extiterit immunis.

Venio nunc ad illud quod propriè hoc

capite

capite ex ſentẽtia S. Iob tractare propoſue-ram. Vbi pugna iam finita fuerit, & receptui canitur, ſi qui nullo accepto vulnere victo-res exiſtant, ſummo gaudio exultãt, ſimul-que cum ingenti gloria & triumpho, ad ca-ſtra deducuntur, vbi à ſupremo Imperatore glorioſam illam æternæ beatitudinis coro-nam recipientes in ſumma tranquillitate & incredibili lætitia conquieſcunt. Alij porrò victores quidem & ipſi, ſed grauiter inte-rim vulnerati, quamuis ob partam victori-am maximo afficiantur gaudio: nihilomi-nus tamen propter accepta vulnera neque triumphant, nec in patriam ſuam reuertũ-tur, donec alibi à vulneribus ſuis curati om-ninò conualuerint. At qui in pugna ab ho-ſtibus victi, capti, lethaliterque vulnerati ſunt, cum ingenti dolore & ſumma eorum confuſione in perpetuos carceres deducun-tur, vbi omni ſpe priſtinæ ſanitatis recupe-randæ præciſa, in æternum affligentur, ſuę-que ſuperbiæ ac negligentiæ pœnas deplo-rabunt, vt qui, ſi proſpicere ſibi voluiſſent, nequaquam victi ac ſuperati fuiſſent.

Simili planè modo in hac vita militatur, at in altera vita receptui canitur, ac mani-feſtatur, quiſnam in pugna ſuccubuerit, quis item victoriam obtinuerit. Quatuor igitur loca ſiue receptacula ſunt, quæ ani-

mas

mas ex pugna laboriosæ huius vitæ emigrantes excipiunt. Animæ illæ quæ nullius peccati vulnere accepto, in hac vita pro peccatis suis plenariè satisfecerunt, securè Cælum adeunt fruituræ ibidem præmijs à Deo sibi præparatis: illæ verò animæ, quæ venialis alicuius peccati vulnere inflicto, pœnam adhuc aliquã debent temporalem, quòd nondum plenariè in hac vita pro peccatis suis satisfecerint, quanquam & ipsæ victoriæ participes sint; nihilominus tamẽ ad Purgatorium abeunt, vbi manebunt vsque dum plenaria persoluta satisfactione ab omni prorsus macula abluantur. Quæ autem in hac pugna peccatorum mortalium vulneribus inflictis non solùm pugnare non voluerunt, sed vltro etiam in hostium sese potestatem dedidêre, in Infernum descendunt, pro rebellione sua æternis ibidem gehennæ tormentis excruciandæ. Demum animæ puerorum, quæ propter originale peccatum semper in manibus fuêre suorum inimicorum, in quartum aliquem locum secedunt, qui Limbus dicitur puerorum; eorum scilicet, qui cùm à macula originalis peccati Sacro Baptismatis lauacro non sint repurgati, tanquam filij rebelles cælesti hæreditate priuantur.

Contra doctrinam hanc certa quædam

visio facere videtur, cuius meminit Beda in historia sua lib. 5 cap. 13. de quodã à mortuis resuscitato, cuius anima præter iam dicta receptacula alium quendam locum viderat, veluti amœnissimum quoddam variisque floribus vndequaque consitum pratum, in quo erant animæ quædam, quæ pœnam quidem nullam patiebantur, interim tamen ibidem detinebantur, quia ad beatificam illam Dei visionem nondum erant idoneæ. Similes visiones ponit Dionysius Carthusianus in dialogo de Iudicio Particulari, articulo 31. & S. Greg. lib 4. dialog. cap. 36. Cardinal. Bellarminus in lib. 3. de Purgatorio, cap 7. dicit non omnino quidem improbabile esse in altera illa vita eiusmodi locum reperiri, sed eum ait pertinere ad Purgatorium, easque animas, quãuis pœnam sensus non habeant, habere tamen pœnam damni, quod signum manifestum est eas nondum omnino esse purgatas, ita vt, si talis locus existat, sit quasi honorificus quidam carcer Purgatorij.

Dices fortassè: Multi infantes moriuntur absque certamine, quia moriuntur ante vsum rationis, quònam illorum animæ discedunt? Respondeo illas abire in Cælum, eò quòd hinc emigrent absque labe originali, quæ ijs ablata est per sacrum regenerationis lauacrum, moriuntur etiam absque pecca-

peccata actuali, quod ante rationis vsum non potuerunt committere. Quòd antè nō certauerint, nihil impedit quò minus Cælum ingrediantur, in virtute enim S. Baptismatis *induerunt Christum* qui pugnauit pro ipsis.

Quæritur hîc, cur non etiam Limbum SS. Patrum constituamus, cuius toties S. Scriptura facit mentionem? Respondeo, verùm quidem esse quòd ante Resurrectionem Domini nostri Limbus extiterit SS. Patrum à Christo non absque ratione sinus Abrahæ (qui Pater est fidelium) nuncupatus, in quem animæ eorum recipiebantur, qui cùm naturalis, tùm scriptæ legis obseruatores extiterant, vbi ab omni primum peccatorum macula purgati, post debitam peccatorum pœnam exolutam inclusi detinebantur, ita tamen vt nullam paterentur pœnam sensus dicente Abrahamo ad diuitem Epulonem, qui in flammis Inferni cruciabatur: *Nunc autem hic consolatur* (scilicet Lazarus) *tu verò cruciaris*, quæ animæ, vt Cælum ingrederentur, aliud nihil præstolabantur, quàm vt à Christo solummodo portæ Cæli aperirentur, precio nimirum Redemptionis humanæ persoluto. Verùm posteaquam Christus post sacratissimam suam Passionem in Infernum descendit, omnes illos SS. Patres liberauit, & secum de-

duxit ad Cælum, ita vt ampliùs hic Limbus non existat, locus tamen, in quo Limbus iste fuit (nisi pueris non baptizatis deseruiat) vacuus remaneat.

Quod ad dispositionem & situm horum receptaculorum attinet, tria communi omnium Doctorum consensu certa sunt. Primò Infernum esse in visceribus terræ, immensam scilicet cauernam, in qua impij æternis ignibus excruciantur, ita vt centrum terræ etiam centrum sit Inferni, veluti inferiùs Cap. 20. probabimus. Secundò certum est Limbum Patrum in parte fuisse superiori. Tertiò denique certum est Purgatorium & Limbum puerorum esse in medio. Omnia ista ex S. Luca (cap. 16.) colliguntur, qui de diuite loquens Epulone, qui erat in Inferno, dicit eum eleuatis oculis vidisse Abraham à longè & Lazarum in sinu eius. Erat igitur ille in loco profundo ac depresso, hic verò in loco altiori. De Limbi ergo puerorum, itemque de *Purgatorij* situ duntaxat difficultas est. Aliqui *Purgatorium* Inferno contiguum esse arbitrantur, Limbum autem puerorum esse supra Purgatorium, atque hi pro se citant D. Thomam, qui Infernum ac *Purgatorium* sibi inuicē coniuncta asserit, ignem que habere planè eundem, impiorum quidem animabus in tormentum, piorum verò in purgationem ordi-

ordinatum, quemadmodum etiam ſanctus Gregorius libr. 4. dialog. ait. *Sicut ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat, ita ſub eodem igne peccator crematur, & electus purgatur.* Alij contrà Limbum puerorum Inferno vicinum exiſtimant. Purgatorium verò eſſe ſuprà Limbum, & hi quoque pro ſe alligant D. Thomam, ratio autem eſt, quia cùm pueri iſti ob originale peccatum inimici Dei ſint, æquum etiam eſt, vt vicini ſint Inferno, in quo impij omnes & rebelles Deo detinentur. Verùm cùm hac de re in ſacris literis nihil habeamus reuelatum, neque certi quippiam ab Eccleſia definitum, vnicuique liberum relinquitur id credere quod collibuerit. Quanquam etiam dici poſſit, vtrumque tam Purgatoriū quā Limbum puerorum Inferno eſſe contiguum, ita nimirum vt vnumquodque horum medij circuli ſpatium conficiens, Purgatorium vnam, Limbus verò puerorum alteram partem illam occupet, quæ proximè ſupra Infernum eſt. De Cælo, quod Beatorum eſt receptaculum reliquiſq; omnibus excelſius, ſuo poſtea loco agemus.

Demum aduertendum eſt, hæc receptacula non muris aut alijs terminis materialibus, ſed varijs diuerſiſque qualitatibus ac proprietatibus à ſe inuicē eſſe diſtincta,

secundum ordinem & voluntatem diuinā. De quibus singulis postmodum ad longū ratiocinabimur.

Duo hîc occurrunt dubia, Primum est, S. Gregorius lib. 4. dialog. dicit multas animas in hoc nostro aëre alijsque in locis puniri, ergo præter Infernum & Purgatoriū alia plura sunt animarum puniendarum receptacula. Respondeo sermonem nobis hîc esse de receptaculis fixis ac stabilibus, ordinarijs, & purgandis torquendisque animabus destinatis, atque horum duntaxat duo sunt, Infernus f. & Purgatorium. Quòd si Deus boni alicuius fine animas quasdam alibi punire vel purgare velit, potest pro libitu suo, & nonnunquam etiam id contigisse reperitur; sed loca ista extraordinaria sunt, neque perpetua de quibus hîc non agimus.

Alterum dubium est: Cùm nemo adeò deploratæ frugi sit, quin aliquando boni aliquid præstet, quintus ponendus videtur esse locus, in quo tales bonorum suorum operum præmia recipiant, ac deindè ad infernum secedant, quemadmodum qui in gratia moriuntur cum peccato aliquo veniali, primò in Purgatorio pro peccatorum suorum pœnis satisfaciunt, à quibus postea purgati in Cælum recipiuntur. Respondeo hoc nō esse necessarium, eò quòd

quòd Deus bona illorũ opera temporalibus bonis compenſet. Adhæc poſita conditione, quòd in præſenti vita nullam de bonis ſuis operibus perceperint remunerationẽ, dico nullum eos præmium promereri: dũ enim in peccato mortali veluti rebelles moriuntur, hoc ipſo bonorum operum ſuorum remuneratione indigni fiunt, iuxta doctrinam S. Iacobi, qui in epiſtola 2. canonica ſua dicit. *Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.* id eſt perdit præmium quod pro reliquorum præceptorũ obſeruantia illi debebatur, quemadmodum reum capitis vel vitæ eum nuncupamus qui morte dignus eſt. Huic conſonat illud Ezechielis cap. 18. &33. vbi dicit iuſtum, ſi peccet, omnes ſuas perdere iuſtitias, id eſt fructum omnium bonorum operum.

DE PARTICVLARI IVDICIO animarum quod ſingulis morientibus contingit.

CAPVT IX.

DE particulari hoc Iudicio ſex potiſſimum dicenda occurrunt. *Primò* infallibiliter eſſe ac haberi eiuſmodi Iudiciũ particulare S. Thomas in 3. par. quæſt. 59. art. 5. itemq; alij plures Theologi in 4. ſent.

dist. 47. duo Iudicij genera in altera vita asserunt esse futura, vniuersale vnum, de quo agemus in 2. parte huius tractatus, alterum particulare, quo singulorum animæ iudicabuntur, simulatque è corporibus emigrauerint. Antiqui nonnulli hæretici particulare istud iudicium negauerunt, dicentes animas à corporibus separatas de futuro suo statu incertas esse & dubias, vsque ad diem extremi Iudicij, & consequenter eousque sine præmio ac pœna remanere, atque hac de causa vniuersale solum Iudiciũ concedebant, particulare verò negabant. In hac sententia etiam fuit Lactantius lib. 7. diuinarum Instit. c. 21. At veritas Catholica, S. Scriptura, & SS. Patres docent singulos homines quãdo moriuntur, particulari iudicio iudicari. Quod etiam comprobatur ex illa fidei nostræ doctrina, quæ nimirum asserit Iustorum animas, quæ non indigent purgatione, in Cælum euolare, vbi præmia sua consequuntur, veluti anima boni illius Latronis, cui dicebat Christus: Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*. Animas verò eorum, qui hinc peccatis mortalibus infecti excedunt, ad Inferni pœnas detrudi, quemadmodum diuiti Epuloni accidit. Luc. 16 Credibile autem non est animarum aliquas præmijs affici, aliàs verò damnari priusquam de illis habitum sit iudicium,

dicium, ideoque in Ecclesiastico Cap. 11. dicitur: *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique iuxta vias suas.* id est opera sua. Et Apostolus ad Hebræos Cap. 9. postquam vnicuique moriendum esse dixisset, subiunxit: *Post hoc autem est Iudicium*. Sanctus Ambrosius, & sanctus Anselmus per illud iudicium intelligunt iudicium particulare. Sanctus Chrysostomus super Matt. hom. 37. dicit: *Postquam diem tuum obieris, iudicium & pœna consequetur.* Sanctus Augustinus lib. 20. de ciuitat. Dei cap. 1: & lib. 2. de anima & eius origine cap. 4. eandem veritatem expressè sequentibus confitetur verbis: *Illud rectissimè, & valdè salubriter creditur iudicari animas cùm de corporibus exierint, antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oportet iam redditis corporibus iudicari.* Deinde etiam eadem veritas hac ratione confirmari potest: In præcedenti Capite probatum est quatuor esse receptacula animarum è corporibus emigrantium, priusquam igitur anima ad Limbum, siue ad Purgatorium mittatur, necesse est, vt iudicium aliquod particulare præcedat, in quo per certam sententiam singulæ animæ suis locis adiudicentur. Præterea multæ de particulari hoc iudicio extitêre visiones ac reuelationes, sicut scribit Sanctus Gregorius lib. 4. dial. cap. 36. & 38. de

quodam Stephano Ferrario, & S. August. in lib. de cura pro mort. c.12. de quodam Curma nomine, de quibus postmodum distinctius tractabimus.

Secundò quæritur, quid agatur in hoc particulari Iudicio? Respondeo, singulis animabus sua datur & declaratur sententia per quam statum suum cognoscant, & quo in loco mansuræ sint intelligant, quæ item pœna eas maneat, aut quæ præmia expectent. Hinc in animabus damnatorũ confusio nascitur & desperatio, quippe cũ per illam sententiam cognoscant ad acerbissimas & perpetuas se pœnas esse condẽnatas. At in animabus Beatorum lætitia & securitas nascitur, vnde in libro Sapientiæ cap.5. dicitur de iustis quòd Christo veniente ad Iudicium vniuersale *stabunt in magna constantia*, propter securitatem scilicet quam ex particulari Iudicio conceperunt. Animæ porrò, quæ purgatione indigebũt, sententia sua in particulari judicio accepta Purgatorium adibunt; similiter & puerorũ animæ, quæ sine Sacramento Baptismatis ex hac vita excesserunt, ad Limbum proficiscentur.

Tertiò quæritur, quo tempore Iudiciũ illud particulare habeatur? Respondeo apud graues quosdam Authores reuelationes aliquas reperiri, ex quibus colligitur

judici-

iudicium illud particulare fieri paulò antè quam anima à corpore separetur, quemadmodum scribit S. Gregorius 4. dialog. cap. 38. de Chrisorio quodam, itemque de Monacho, qui paulò antè quàm morerentur damnationis suæ sententiam audiuerunt. Similia exempla de alijs cōmemorat Beda, vt videre est lib. 5. Hist. Angl. cap. 14. & 15. & Climacus in Scala *Parad.* gradu 7. scribit de Monacho quodam Eremita, qui morti vicinus ad accusationes contra se allatas respondebat, seseque defendebat haud secùs quam alius quilibet reus coram iudice constitutus facturus fuisset. Sed hoc dici nullo modo potest, tum enim particulare iudicium fieri debet, cùm iam omne merendi simul ac delinquendi homini ademptum est tempus & occasio, iam verò quādo anima adhuc viuit in corpore, homo pœnitere potest ac saluari, similiter peccare potest ac condemnari, atque idcircò particulare iudicium ante mortem omninò fieri nequit. Ad visiones autem Sancti Gregorij, Bedæ, & Climaci respondemus, eiuscemodi altercationes ac lites nō arguere, tunc temporis datam esse vel dari sententiam, sed Deum aliquando permittere, vt vel propter hominum peccata, vel iusta Dei iudicia nonnulli affligantur ac torqueantur à Dæmonibus, qui transactæ

iam vitæ delicta morientibus in memoriam reuocant, quò ſcilicet eoſdem adigant ad deſperationem. Relinquitur ergo particulare illud iudicium in ipſo mortis momento fieri, id eſt, anima ſimulatque à corpore ſeparatur ſententiam ſuam audit, cognoſcitque quis ſtatus, quæue conditio eius in altera vita futura ſit. Aut certè dici poteſt iudicium particulare ſubitò poſt mortem fieri, quemadmodum etiam affirmat S. Hieronymus in epiſtola ſua ad Pammatium, vbi dicit animam ſimulatque è copore fuerit egreſſa, cognoſcere diuinum Chriſti de ſe iudicium. Colligitur quoque ex viſionibus iſtis, quas S. Auguſtinus, S. Gregorius, alijque ſupra citati commemorauerunt, poſt mortem datam fuiſſe ſententiam. Notanda eſt inter alias celebris illa S. Brunonis de Doctore quodam Pariſienſi hiſtoria, qui, dum in templo ſolenni ritu exequiæ eius celebrarentur, terribili voce exclamauit: *Iuſto Dei iudicio accuſatus ſum*, deinde: *Iuſto Dei iudicio iudicatus ſum*, denique: *Iuſto Dei iudicio condemnatus ſum*. Quod nunc accidit cùm iam anima à corpore eſſet ſeparata. Leontius etiam in vita Ioannis Eleemoſynarij S. Simeonem commemorat ex reuelatione habuiſſe, animam dicti Eleemoſynarij de corpore emigrantem ad iudicium perductam

fuiſſe,

fuisse, ibidemque à Dæmonibus accusatã, ab Angelis verò defensam.

Quartò quæritur, per quem iudiciũ illud particulare exerceatur? Respõdeo per Christum, cui Pater omnem potestatem dedit & iudicium, quique constitutus est Iudex viuorum ac mortuorum. *Hic* dubiũ aliquod occurrit, nimirum an animæ, quando iudicantur, Christum videant quoad humanitatem? Innocentius III. de contemptu Mundi lib. 2. cap. 43. dicit quòd videant. Sed hoc incertum est, præsertim cùm S. Scriptura id non affirmet, & authoritates, quas ipse adducit, de vniuersali iudicio intelligantur, in quo *videbunt*, inquit Apostolus *Ioannes*, *in quem transfixerunt*. *Ioã*. 19.

Quintò quæritur, quomodo particulare hoc iudicium fiat? item in quo loco? Atque hic difficultas aliqua nascitur, videlicet an animæ ad accipiendam sententiam suam ad ipsum tribunal Christi perducantur, an verò Christus sententiam laturus descendat ad locum, in quo homo moritur? *S.* Augustinus de vanitate sæculi lib. 5. dicit: *Cùm anima separatur à corpore, veniunt Angeli vt perducant illam ante tribunal Iudicis.* *Idem* omnino affirmat S. Chrysostomus hom. 14. in Matth. sequentibus verbis: *Omnes animæ cùm hinc emigrauerint, ad terribile illud deducentur tribunal.* Nec ab hac sentẽtia

diſſentire videtur S. *Bernardus* c.2.meditationum. Ex his ſimilibuſque *SS.* Patrum ſenténtijs ac loquendi modis multi ſuſpicati ſunt, animas, ſimulatque à corporibus ſeparantur, protinus ad Cælum deduci, & ſiſti ante Tribunal Chriſti. Verùm hoc omninò non videtur eſſe credibile de animabus præſertim tam ad Infernum, quàm ad Limbum, aut *Purgatorium* condemnatis: nam cùm ea loca in imis terræ viſceribus ſita ſint, planè non videtur probabile animas ad Cælum deduci, vt inde ſubitò ad loca iſta ſubterranea deſcendant, præſertim cùm ſententiam illam audire poſſint etiamſi ad Cælum non deducantur, ſicut paulò inferius dicetur. Adde quòd eiuſmodi animæ peccatis infectæ ſint, in Cælum autem iuxta *S.Script.* *Non intrabit aliquid coinquinatum.* Apoc.21.

Alij exiſtimauerunt Chriſtum deſcendere ad ſingulos morientes, ad ferendam ſententiam de animabus eorum, ſecundum illud Euangelij: *Vigilate, quia neſcitis qua hora filius hominis veniet.* Matth. 24. Mar. 3. Luc. 12. Vnde Innocẽtius III. de contemptu Mundi lib. 2. cap. 43. & Ludolphus Cartuſianus tomo 3. cap. 46. aſſerunt animas, priùſquam è corporibus egrediantur, Chriſtũ videre crucifixũ. Neq; hoc videtur eſſe probabile: ſi enim (veluti iſti ſuſpicantur) Chri-

ſtus

ſtus ſecũdũ humanitatẽ realiter de Cęlo deſcendat ad moriẽtes, iã neceſſariò Chriſtus ſecundùm humanitatẽ ſuã in continuò erit motu, pluribuſq́; ſimul diuerſis in locis aſſiſtet, eò quòd multi ſimul diuerſis in locis moriantur. Adhæc etiam animæ vel abſque reali iſto Chriſti aduentu ſententiam de ſe latam cognoſcere poſſunt.

Neque eorum nobis placet ſententia, qui arbitrantur animam ſeparatam proximè aſtare corpori, atque inde audita iudicis ſentẽtia ad ſuum deduci receptaculum, quemadmodum ſentire videtur S. Bonauentura in 4. ſentent. diſt. 20. 1. par. & Soto diſt. 45 quæſt. 1. art 3. concl. 2. Dicimus ergo, animam in eodem inſtanti, quò à corpore ſeparatur, aut ſimulatque iam ſeparata eſt, diuina virtute, ad audiendam illam Chriſti Iudicis ſen entiam eleuari. Et hoc eſt ante Chriſti tribunal ſiſti ac iudicari. Ad authoritatem iſtam S. Matthæi & S. Marci dico cum Abulenſe quæſt. 239. in Matth. 24. Chriſtum ſingulis morientibus aſſiſtere, non quidem reali humanitatis ſuæ eſſentia, ſed virtute ſua, potentia & efficacia, per quam facilè eſt vnicuique cognoſcere, quid de ſe determinatum, quis ſtatus ſuus futurus, & quo in loco quaque conditione manſurus ſit.

Sextò, particularis huius iudicij forma

simplex erit ac absoluta, sine testimonijs aut vlteriori inquisitione, neque examinabitur anima de operibus perpetratis, quippe cùm Iudex melius vniuscuiusque merita ac delicta cognoscat, quàm ipse qui iudicatur, dabiturque sententia, non quidem voce sensibili, sed intellectuali, quàm anima absque omni appellatione ac replicatione acceptabit. Si quæras, quomodo anima in cognitionem veniat sentẽtiæ à Christo prolatæ, respondeo id vel per Angelũ Custodem fieri posse, aut per species à Deo ipsi intellectui infusas, aut certè ab ipso Christo diuina nobis virtute reuelari.

QVOMODO, ET QVANDO Animæ ad sua receptacula deducantur

CAPVT X.

ANimas, relictis corporibus, quæ ab ipsis primum regebantur, non moueri passibus corporeis, certum est & extra omnem controuersiam: verùm sicut nunc alium statum, aliumque viuendi modum, ita & aliam habent mouendi rationem. Et certè credibile est animam humanam, quæ primò corpus mouebat, nunc separatam mouere seipsam, quemadmodum affirmat Sanctus Hieronymus in epistola ad Pam-
matium

matium: *Postquam*, inquit, *anima de corpore est egressa, subito iudicium Christi de se latum cognoscit*, merita ac delicta transactę vitæ intelligit, nouit denique quò sibi eundum sit, simulque absque replicatione & appellatione, quicquid de se fuerit determinatum, exequitur.

Quamuis autem certum sit animas habere virtutem mouendi seipsas, proprioq; motu ad receptacula sibi destinata posse proficisci, aut secedere; nihilominus tamē credendum est, eas ad loca, in quibus operum in hac vita designatorum mercedem recepturę sunt, Angelorum ac Dęmoniorū ministerijs deduci, sicut Beatorum animæ ab Angelis in Cælum deducuntur. Vnde de S. Benedicto in vita eius legitur, quòd S. Germani Capuani Episcopi animam in sphæra ignea ab Angelis in Cælum viderit perduci, quo insignis S. illius *Prælati* charitas designata fuit. Item apud S. Lucam videmus animam Lazari ab Angelis in sinum Abrahæ, id est ad Limbum SS. Patrum deportatam. Ecclesia item in orationibus pro defunctis precatur Dominum, *vt animas eorum ab Angelis lucis susceptas in præparata habitacula deduci faciat Beatorum.*

Animas porrò, quæ ad Purgatorium destinatæ sunt vt purgentur, ac pœnas tem-

porales debitas pro peccatis suis persoluãt, ab Angelis Custodibus deduci probabile est, nam animæ sunt iustorum & amicorũ Dei, quibus ad loca pœnæ abeuntibus Angelorum custodum comitatus non exiguum affert solatium & confortationem iuxta opinionem Dominici Soto in 4. sent. dist. 45. quæst. 1. art. 3.

Condemnatorum animas ad Infernum destinatas à Dæmonibus tanquam Iustitiæ diuinæ ministris perduci credimus. Ita scribit S. Cyrillus Alexand. in orat. de exitu animæ, vbi de anima damnata loquens, dicit eam ab Angelis bonis desertam continuò inuadi à Dæmonibus, qui crudelissimè eam rapientes ad Infernum deducunt.

Infantium & puerorum animas sine Baptismo ex hoc mũdo decedentes, verisimile est à Dæmonibus ad Limbum deferri, vbi perpetuò viuant beatifica Dei visione ac fruitione priuati. Ratio est, quia cùm illæ damnatæ sint, congruum etiam est, vt à Dæmonibus tanquam Dei lictoribus ad carceres deducantur.

Hic occurrit dubium, An videlicet animæ à corporibus separatæ subitò, particulari iudicio peracto, ad receptacula sua demigrent, vt ibidem vel præmijs fruantur pro bonis suis operibus, vel pœnis peccatis suis promeritis afficiantur? Tertul. libr. 4.

contra

contra Marcionem, cēset iustorum animas non statim, vt à corporibus separantur, ad Cælum euolare ad fruendum æterna beatitudine, sed in Limbo SS. Patrum ad diem vsque iudicij detineri, vbi etiam corpora sua erunt resumpturæ: Dicit præterea in Limbo iustorum animas refrigerium aliquod habere, non autem beatitudinem. Vigilantius, vt de eo narrat S. Hieronymus, Lactantius lib. 7. cap. 21. & alij nonnulli *Patres* antiqui in eadem fuēre sententia, quā nunc tenere & sequi non licet, quippe cùm aliud iam definierit Ecclesia. Veritas igitur hęc est, Iustorum animas, in statu gratiæ ex hac vita decedētes ac purgatas, nō expectare carnis resurrectionē, sed directè migrare ad Cælum, ibiq; essentiali frui beatitudine, confirmante illud Collecta Ecclesiæ de S. Gregorio: *Deus, qui Animæ famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia contulisti,* &c. Deinde etiam, iuxta opinionem illorum, sequeretur non esse verum quod bono Latroni dicebat Christus: Luc. 23. *Hodie mecū eris in Paradiso,* id est, beatus eris. S, Paulus quoque frustra tantopere desiderasset *dissolui & esse cum Christo,* vti scribit ad Philippēses, si ante extremi iudicij diem Christo in Cælis frui nequiuisset. Adhæc etiam ad Ephesios scribens, cap. 4. ait: *Christus ascendēs in altum captiuam duxit captiuitatem*; per

altum,

altum; Cælum Empireum intelligens, quòd supremum Cælum est & Thronus Dei, dicente S. Matthæo: Non iurabis per cælum, *quia thronus Dei est. Matth. 5.* Per captiuitatẽ Animæ intelliguntur, quas ex Limbo liberalitas Christus secũ deduxit in Cælum: & nisi dicere velimus eas iterum ad Limbum esse regressas, necessario credendum est illas in cælo remansisse beatas. Hanc sententiam esse tenendam, definiuit Benedictus XII. in Extrauag. *Benedictus Deus.* Itemque Innocentius 3. in cap. Maiores extra, de Baptismo & eius affectu, & in cap. *Apostolicam extra.* de Presbytero non baptizato. Illud ipsum etiam sacra confirmauerunt Cõcilia, Florentinum sess. vlt. & Tridentinum sess. 25. His accedunt SS. Patrum idem confirmantium authoritates & testimonia, veluti Irenæi, qui lib. 2. cap. 63. de animabus dicit: *Dignam habitationem vnamquamque gentem percipere etiam ante iudicium.* S. Basilius in oratione de Gordio Martyre, Angelorum manibus eum ad vitam beatam dicit esse translatum. S. Chrysostomus hom. 4. in Epist. ad Philipp. *Quis*, inquit, *Athleta cupiet amplius certare, cùm iam liceat coronari?* & hom. 3. dicit, Iustos esse cum Rege, eumq; videre de facie ad faciem. S. Hilarius in Psal. 124 de Apostolis inquit: *Super terrenam naturam gloriosi iam in Dei rebus exultant*

tant. S. Ambros. in Epist. 85. de S. Geruasio & Prothasio loquens, plenos esse ait lumine æterno, eorumque corpora in terra, animas in Cælo esse. S. Anselmus in cap. 5. 2. ad Corinth. de Iustis inquit: *Mox vt à carnis colligatione exeunt, in cælesti sede requiescunt.* Similiter dicunt alij quamplurimi, quos breuitatis gratia omitto, citanturque à Gregorio de Valentia tom. 2. disp. 1. puncto 2. Ipsa etiam ratio hanc veritatem confirmat: nam si Beatitudo eorum est corona qui legitimè certauerunt, ergo etiam victoribus dari debet simulatque finitum est certamen. Præterea Beatitudo merces est operarijs promissa secundum parabolam apud S. Matthæum cap. 20. ergo statim dari debet finito huius vitæ curriculo, eoque magis, quòd nulla causa sit, propter quam ad extremi iudicij diem debeat differri, quippe cùm anima eius præmij iam capax existat, cognitio enim beatifica, in qua consistit Beatitudo, non dependet ex phantasmatis, pro quibus corpus est necessarium. Deniq; si necesse sit animas, ad consequendam beatitudinem, extremum & vniuersale iudicium præstolari, iam Ecclesia erraret in inuocatione Sanctorum & eorum celebratione festorum per quam Sanctorum animas beatas & in Cælo esse præsupponit.

De Animabus damnatorum idem existimo

stimo dicendum, videlicet eas, simulatque sententiam suam in iudicio particulari accepêre, ad infernum secedere, ibique promeritis affici cruciatibus, iuxta illud S. Iob Cap. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et S. Lucas diuitem Epulonem in Inferno sepultum, ibique in tormentis existentem, dicit à longè vidisse Abraham &c. Luc. 16. Non igitur verum est animas, vt torqueantur, resurrectionē corporum suorum præstolari. Adde, quàm plurimas animas viuentibus apparuisse, ijsdemque pœnas etiam quibus affligebantur significasse, quemadmodum contra etiam multæ viuentibus apparentes suam declarauêre felicitatem, quas apparitiones omnes falsas velle asseuerare, hominis est plus quàm temerarij, vtpotè quæ à multis SS. Patribus comprobatæ sint, & scriptis etiam posteritati consignatæ. Vide S. Gregorium lib, 4. dialog. cap 37. Bedam lib 5. histor. cap. 13. & alios.

Idem etiam de animabus ad Purgatorium aut Limbum puerorum destinatis credendum est, quippe quæ omnes in particulari iudicio ad propria receptacula sint deputatæ.

Neque sanè contra sententiam nostram facit, si quis SS. Patrum animas dicat tot millibus annorum in Limbo fuisse detē-

tas,

tas, antequam æternam consecutæ sint beatitudinem, nam alia cum illis fuit ratio, eò quòd sub veteri lege (veluti suprà dictū est) Cælum nondum fuerit apertum, expectatusque fuerit Messias qui illud reseraret: at in lege noua, quādo (sicut ait Apost. Tit. 2.) *apparuit gratia Dei Saluatoris nostri*, nulla cunctatione opus est, cæli enim aperiuntur priusquam animæ dei corporibus egrediantur, dum scilicet adhuc certant pro Christo. Quare in actis Apostolorū Cap. 7. de S. Stephano dicit S. Scriptura: *Vidit cælos apertos, & vidit gloriam Dei*, quasi dicat, cælos apertos fuisse tum, vt S. Stephano præmium iam paratum demonstrarent, tum etiam vt triumphantem illum & gloriosum exciperent.

Quantum verò illud concernit quod communiter sancti Patres asserunt, nimirum fore, vt in die Iudicij coronam & præmium bonorum operum recipiamus, de perfecto præmio intelligendum est, quod in animæ simul & corporis beatitudine cōsistit, non autem hinc inferri potest: Ergo anima antè non erat beata, quoniam illa iā essentialiter beatitudinem suam habet, quā tamen cum corpore non communicabit ante extremi Iudicij diem, quando videlicet illud resumet, ac denuò cum eodem vnietur.

AN IN ALTERA VITA ANImæ nonnunquam è receptaculis suis egrediantur & quomodo

CAPVT XI.

HIc notandum eſt, quòd ſicut Principes Mundani non ſemper procedunt iuxta tenorem legum à ſe conditarum, ſed gratiam & extraordinaria priuilegia nonnullis aliquando concedunt; ita etiam Deus fieri nonnunquam permittit quædam extraordinaria & à communi lege aliena, qualia miracula ſunt & futurarum rerum prædictiones & ſimilia. *Præterea* ſciendũ eſt quòd in hac vita carceres, pedicæ, & cathenæ, hoc in altera vita præſtare ſolã voluntatem & ordinationem diuinam, nulla enim anima, quantumuis virtutem in ſe motiuam habeat, abſque voluntate Dei à loco ſuo mouetur.

In præſenti materia illud certum eſt, primò, animas, quæ iam ſunt in receptaculis ſuis, pro arbitrio non quocunque volunt ire, nec poſſe (lege *Dei* ordinaria) exire de locis ſibi à Deo deputatis. Vnde Sanctus Auguſtinus in lib. de cura pro mortuis ca. 13. inquit: Si rebus viuentium intereſſent animæ mortuorum, meipſum pia mater nulla nocte deſereret, quæ terra marique ſecuta

secuta est, vt mecum viueret.

Deinde etiam manifestum est animas ad Purgatorium destinatas, simulatque purgatæ sunt, ac pro peccatis suis satisfecerũt, euolare in Cælum Angelorum comitatu stipatas, idque secundum ordinariam Dei legem.

Tertiò etiam certum est, per particularem Dei dispensationem animas aliquas exire posse de receptaculis suis ad tempus, quemadmodum Samuel de Limbo, in quo detinebatur, egressus apparuit Sauli, vt videre est 1. Reg. 28. & idem confirmat S. Augustinus in lib. de cura pro mortuis. Moyses & Elias apparuerunt Christo in monte Thabor, S. item Augustinus lib. citato cap. 16. dicit Beatum Felicem Martyrem Nolanum suis ciuibus visibiliter apparuisse, cùm à Barbaris oppugnarentur. Et S. Gregorius 4. dialog. cap. 10. 36. 40. & 55. multos enumerat, qui ex Purgatorio diuersis in hac vita apparuerunt, quod Deus quandoq; permittere solet, partim, vt animæ illæ viuentiũ suffragijs adiutæ ex Purgatorio citiùs liberentur, partim verò in vtilitatem & commodum ipsorum quibus animæ istæ apparẽt, vt nimirum ab ijsdem admoniti & correcti in melius vitam suam mutent ac emẽdent.

Quartò apertum est singulari DEI dispen-

ſpenſatione animas aliquando corporibus ſuis reſumptis & reſuſcitatis in hanc lucem redire poſſe. Quapropter illi qui à SS. Dominico, Nicolao, Martino, alijſque pluribus ſanctis reſuſcitati fuêre, in Purgatorio fuiſſe creduntur, quemadmodum eos qui reſuſcitati ſunt à Chriſto, Helia, & Eliſæo in Limbo ſanctorum Patrum detineri exiſtimamus. Vbi aduertendum, ſi qua anima ex Purgatorio ad tempus redeat, pœnam tamen per id temporis non ceſſare, nam ceſſante pœna tempus beatitudinis ſuæ prolongaretur, atque inde maiorem cōciperet afflictionem & moleſtiam, neque enim impoſſibile eſt, animam extra Purgatorium poſitam tormētis Purgatorij torqueri poſſe, cùm hac de re quàm plurimas habeamus apparitiones ac reuelationes approbatas. Et ſicut Dæmones extra Infernum ignibus Infernalibus cruciantur; ita etiam animæ extra Purgatorium purgatorio igne purgari ac torqueri poſſunt.

Quærat aliquis, an reſuſcitati à mortuis de ſalute ſua ſecuri ſint, veluti erant in Purgatorio aut Limbo ſanctorum Patrum, nec ne? Reſpondeo quòd ita, alioquin enim iſta reſuſcitatio non in beneficium ijs cederet, ſed in periculum & damnū. Quinimo plurimi Authores in ea ſunt ſententia, omnes ſcilicet, quotquot ex Limbo SS. Patrum aut Pur-

Purgatorio resuscitati fuerunt, in gratia fuisse confirmatos. In hac opinione est Abulensis in 4. lib. Reg. c. 4. & Soto in 4. sent. dist. 45. quæst. 1. art. 4 Dico præterea eos, qui ad hanc vitam regrediuntur, maiorem gloriam promereri posse, beneque operãdo pro pœnis etiam, quas in Purgatorio pati tenebantur, satisfacere, quia viatores sunt & in statu gratiæ constituti.

Quintò etiam manifestum est animas quæ in Cælo sunt ac verè beatæ, aut quæ in Inferno planeque damnatæ, nullo modo secundum legem tam ordinariam quàm extraordinariam ex istis locis posse exire, nec in perpetuum, nec ad tempus, ita scilicet vt cesset earum vel beatitudo, vel condemnatio, eò quòd vera beatitudo sicut & vera condemnatio, intrinsecus perpetuitatem includant iuxta illud Matthæi: *Et ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem n vitam æternam*. Iam verò quod æternum est, nullatenus potest interrumpi.

Sextò certum est tam ex Cælo animas aliquas Beatorum, quàm ex Inferno quasdam animas damnatorum exire posse particulari Dei dispensatione ad vtilitatem & instructionem quorundam in hac vita, ita tamen vt interea ne vel tantillum quidem temporis desinant esse vel beatæ vel dãnatæ, id est, quocunque animæ beatæ ibunt-

Dei, quem omni in loco præſentem habebunt, ſemper fruentur viſione, animæ verò damnatæ vbicũque fuerint, Inferni cruciatibus torquebuntur. Hæc doctrina eſt S. Thomæ in 3. par. quæſt. 69. art. 3. ad tertiũ, quo articulo affirmat, Beatorũ animas diuina mediante diſpenſatione, eo quo diximus modo, quotieſcunque volunt, de Cælo poſſe exire, quia cùm animæ iſtæ in omnibus diuinæ voluntati conformes ſint, niſi placere Deo cognoſcerent, nunquam exirent quare cùm egrediuntur, idipſum placere Deo certò ſciunt & cognoſcunt. Atque hoc modo intelligendum eſt illud S. Hieronymi contra Vigilantium, vbi dicit: *Animas Apoſtolorum & Martyrum poſſe, vbi voluerint, adeſſe præſentes:* non enim volunt, niſi quando & quomodo vult Deus. Huic contrariari videtur illa de Traiano Imperatore hiſtoria, itemque de Falconilla, qui ex Inferno fuêre liberati. Verùm de his latiùs infra tractabimus cap. 22.

Occurrit hic dubium aliquod, an nimirum animæ tam beatorum in Cælo, quàm damnatorum in Inferno corpus reſumere, & in hanc vitam reſuſcitari poſſint? S. Gregorius lib. 5. dialog. narrat à *S.* Fortunato reſuſcitatum fuiſſe Marcellum quendam virum ſanctum, qui ab Angelis in locum nõ inamænum fuerat deductus. Egeſippus præte-

præterea lib. 3. dicit Sanctum Petrum ethnicum quendam Imperatori sanguine iunctum resuscitasse. Ad hoc dubium ergo respondeo, videri probabile, quotquot vel è Cælo vel ex Inferno fuerunt resuscitati eos vltimam saluationis aut condemnationis suæ sententiam necdum accepisse, sed Deum, qui præuidebat eos resuscitatum iri, sententiam illorum suspendisse. Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Purgatorio sub finem capitis 8. in hac est sententia, nempe eos, qui vel verè beati sunt, vel absolutè condemnati, nullo modo ad hanc vitam posse reuerti, atque iterum esse viatores, nam Beati deputati sunt, *ad vitam æternam*, damnati verò *ad supplicium æternum*. Vnde impossibile est, vt illi beati esse desinant, hi autem vt desinant esse condemnati, alioquin enim qui sententia à Christo data in iudicio particulari condemnati sunt, sperare possent fore, vt aliquando ex Inferno redimantur, nobis etiam pro salute ipsorum precari liceret, quod falsum est. Præterea si damnatorum aliquis in hanc vitam rediret, viator futurus esset, & per cõsequẽs tam à culpa quàm à pœna liberari posset. Hoc contra Abulensem est 4. Regum capite 57. Sed doctrina est Sancti Augustini libro 21. de ciuitate Dei capite 24. & Cardin. Bellarmini.

Quærat aliquis, an rectè quiſpiam flagitare poſſit defunctorum apparitiones, vt nimirum per eos de rebus in altera vita futuris informetur? Reſpondeo varios poſſe eſſe eiuſmodi apparitionū ſcopos. Primò, ſi quis ex curioſitate apparitionem aliquā deſideret, ad ſciendum ſcilicet quam graues alterius vitæ pœnę futurę ſint, aut quinam in Inferno aut Purgatorio detineātur, peccatum erit curioſitatis. Secundò, ſi quis apparitionem aliquam poſtulet, vt in rebus fidei confirmetur, non quidem in peccatum, ſed in periculum incidet, ne ſcilicet à Diabolo deludatur ac decipiatur. Tertiò eiuſmodi apparitionem expetere licebit ad mutandam vitam & faciendam pœnitentiam, quemadmodum diues ille Epulo, qui cùm in tormentis eſſet Inferni, petebat ab Abrahamo, vt aliquem à mortuis reſuſcitatum ad fratres ſuos mitteret, qui de pœnis alterius vitæ eos admoneret, vt in præſenti vita pœnitentiam agerent, & non venirent in locum iſtum tormentorum, cui reſpondit Abraham: *Habent Moyſen & Prophetas audiant illos*. Dico itaque eiuſmodi apparitionem deſiderari quidem poſſe abſque peccato, ſed non abſque periculo, cùm S. Scriptura & ſancti Patres de altera illa vita luculentam ac ſufficientem reliquerint doctrinam.

DE

DE COGNITIONE, QVAM *animæ à corporibus separatæ habent in altera vita.*

CAPVT XII.

AD maiorem huius rei explanationem notandum est, animam humanam in hac vita duplicem habere cognitionem, vnam, quæ intellectiua dicitur, quæ scilicet exercetur intellectu, estque suprema eiusdem potentia. Altera dicitur cognitio sensitiua, quam per sensus anima exercet, quò pertinent videre, audire, gustare, & similia. Iam dico animam etiam à corpore separatam intellectiuam cognitionem retinere, & hoc est veritati nostræ fidei consentaneum, vt ex multis S. Scripturæ locis perspicuum euadit, veluti apud S. Lucam cap. 16. ait Abraham: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Ergo sciebat anima Abrahami diuitē Epulonem in hac vita bona recepisse, Lazarum verò multa mala supportasse. In libro Sapientiæ cap. 4. & 5. plurima etiam de cognitione hac animarū in altera vita scripta reperiuntur. Ratio quoque idem demōstrat, quippe cùm cognitio intellectiua non ex corpore dependeat, sed tota in intellectu consistat, qui cùm vel idem sit cum anima, vel ab

vel ab eadem inſeparabilis, neceſſariò ſequitur, animam etiam à corpore ſeparatã cognitionem habere intellectiuam.

Hiſce iam dictis loca aliqua Sacræ Scripturæ non tam contrariantur, quàm contrariari videntur, vti Pſal. 145. Propheta de Morte loquens ait: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Qui locus non ita intelligendus eſt, quaſi mortuorum animæ nullam omninò habeant cognitionem, nihil enim aliud his verbis indicare vult Propheta quam conatus ac cogitationes eorum, qui terrenis fidunt Principibus, in morte irritos fieri ac euaneſcere, non item cogitationes ipſorum, qui cõfidunt in domino, & hoc etiam ex ipſo textu perſpicuè videri poteſt. Præterea in Eccleſiaſtico Cap. 9. ſcriptum legimus: *Mortui verò nihil norunt amplius.* Neque hoc ſignificatur mortuorum animas omni cognitione eſſe priuatas, ſed ea duntaxat quæ conducit ad merendum. Vnde ſubiungit Sapiens: *Nec habent vltra mercedem* & paulò poſt: *nec habent partem in hoc ſeculo.* Ex quibus videre licet citatũ Scripturę locũ de ea cognitione eſſe intelligendum, quæ mediũ ſit & via ad promerendum. Quare Nicolaus de Lira in hunc locum dicit: *Mortui nihil nouerunt, vnde ad bonum poſſunt reuerti, alia tamen interea cognoſcunt.*

De cogni-

De cognitione sensitiua certum est, non manere eam cum anima à corpore separata, ratio est, quòd talis cognitio dependeat ab organis corporeis, vnde fit, vt, cùm in altera vita eiusmodi organis anima destituta sit, talem etiam non possit exercere cognitionem. Verùm quidem est sensitiuæ cognitionis virtutem & originem in anima à corpore separata remanere, sed tamen non potest eam sine corpore deducere in effectum. perinde vt in semine quidem virtus est producendi non solùm plantam, verum etiam fructum, si cum terra coniungatur, at non item si ab eadem separetur; ita & anima denuò corpori coniuncta sensuum operationes producit. Atque hoc modo etiam illud S. Augustini capite 15. de spiritu & anima intelligitur, vbi inquit: *Cùm anima recedit à corpore, secum trahit omnia, sensum, imaginationem; &c.* Et illud Ecclesiastici: *Solum hominem credimus habere animam sensitiuam, quæ exuta corpore viuit, & sensus suos tenet.* Vterque locus virtualiter & radicaliter intelligitur. id est, in anima potentia est & virtus operationum istarum sensitiuarũ.

Dicat aliquis: si id verum est, quomodo congruet veritati quòd Doctores sancti & Theologi omnes affirmant, animas à corporibus separatas, quæ in Inferno sunt

aut Purgatorio, pœnam habere sensus quæ consistit in passione tormentorum? si animæ sensum non habent, quomodo pœnā sensus habebunt? Respondeo Theologos tormentum & dolorem illum, quem animæ in flammis sentiunt tam Inferni quàm etiam Purgatorij, pœnam sensus appellare, quòd ab animabus sentiatur: at pœna damni non item, quæ, cùm in priuatione beatificæ visionis DEI consistat, non sentitur, nec affligit positiuè veluti ignis infernalis.

Quærat alius quispiam, quomodo aut per quas species animæ in altera vita intelligant? Ad hāc quęstionē respondet S. Thomas par. 1. quæst. 89. art. 1. vbi de hac agit materia, dicitque animam à corpore separatam intelligere partim per species in hac vita acquisitas, partim verò per species à Deo naturæ authore illi infusas, quemadmodum scilicet Deus nouas etiam species infundit Angelis, quorum statui quoque similis est status animarum à corpore separatarum in altera vita. Hinc est, sicut idem S. Thomas docet art. 5. & 6. quod scientiæ in hac vita conquisitæ in futura etiam vita remaneant, quia habitus sunt in anima fūdati. Cui neutiquam locus ille Ecclesiast. ca. 9. cōtrariatur: *Nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos, quò tu properas.* Hic enim locus intelli-

intelligendus est sicut ille de quo superiùs dictum, scilicet, non est scientia nec medium vllum amplius merendi, hinc immediatè ante hũc locũ idem Sapiens dicit: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos, &c.* quasi dicat, in hac vita mereri possumus, bonis nostris operibus, ideoque benè hic operare, & fac quod potes, quia in altera vita nullum amplius merendi medium est.

Hîc oritur quæstio, an scilicet animæ defunctorum in altera vita ea quæ in terris geruntur, cognoscant? Non autem hîc loquimur de animabus beatorum, sed de animabus in communi, nam de beatorum animabus suo loco, nempe c. 17. separatim differemus. Ad propositam ergo quæstionẽ respondeo, in sacra Scriptura pro parte negatiua authoritates aliquot reperiri, veluti 2. Paralip. cap. 34 vbi Dominus dicit Iosiæ Regi Iudæ: *Colligam te ad Patres tuos, & infereris in sepulchrum tuum in pace, nec videbũt oculi tui omne malum quod ego inducturus sum super locum istum.* Item apud Iob cap. 14. legitur: *Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget.* Sanctus Augustinus lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 13. & 15. idem affirmat, nimirum animas defunctorum nescire quid apud nos fiat. Sanctus

Gregorius quoque idipſum lib. 12. moral. cap. 13. confirmat hac ratione: Cùm animæ defunctorum ſegregatæ ſint à præſenti vita & conuerſatione viuentium, nihil opus habent de noſtris rebus cognoſcere. Pro difficultatis huius enodatione ſciendum eſt, duobus modis defunctorum animas de rebus huius vitæ poſſe habere cognitionem. ſemel per ſe ac naturaliter nouas ſpecies ab obiecto recipiendo quæ res repræſentant, atque hoc modo eas intelligere impoſſibile eſt, quippe cùm hæ ſpecies mediantibus ſenſibus recipiantur, iam verò ſuperiùs hoc eodem capite dictum eſt, animas à corporibus ſeparatas nec ſenſus nec cognitionem ſenſitiuam habituras. Alter modus, per quem animæ ea, quæ in hac vita geruntur, ſcire poſſunt, fit per ſpecies à Deo infuſas, aut per reuelationem, quod idem eſt. Dico nunc Scripturam aut aut S S. Patres quando defunctorum animas res noſtras ſcire negant, intelligi oportere primo modo, id eſt naturaliter & per ſe non poſſunt ſcire; at ſecundo modo, diuina ſcilicet diſpenſatione & per ſpecies à Deo infuſas ſcire poſſunt. Et hæc eſt diſtinctio Sancti Auguſtini & S. Gregorij in locis citatis.

Animæ porrò beatorum alium habent modum intelligendi, intuendo enim eſ-
ſentiam

ſentiam diuinam, in qua veluti in ſpeculo omnia huius vitæ negotia relucent, multa cognoſcunt, quæ alijs animabus incognita ſunt, vti ſuo loco diſtinctiùs dicemus.

DE SINGVLIS RECEPTA-*culis in particulari, itemq́; de animabus quæ in ipſis detinentur, & primò de Cælo Empyreo, quod ſedes & receptaculum eſt Beatorum.*

CAPVT XIII.

CAElum Empyreum Aſtrologis & Philoſophis antiquis cognitum fuiſſe minimè mirum eſt, media enim, quibus illi in cæleſtium ſphærarum peruenêre cognitionem, ſtellæ fuerunt ac motus ſenſibus manifeſti. Quia ergo Cælum Empyreum ſtellis ſimul ac omni motu caret, idcirco Aſtrologis & Philoſophis illis incognitum fuit: ac propterea nonnulli Cælum illud intellectuale appellauerunt, ſedes enim mentium eſt, & perſonarum intellectualium. Hoc Cælum Aſtrologis iſtis antiquis incognitum fuiſſe, noſtra nihil intereſt. ſufficit nobis illud Sanctis Patribus notum fuiſſe, qui eiuſdem mentionem libris ſuis conſignatam poſteritati reliquerunt.

vti Basilius Magnus hom. 2. Hexameron. Clemens Alexand. lib. 7. stromatum. Clemens Romanus Epistola 4. Strabo, & Beda in 1. caput Geneseos, & sanctus Thomas 1. parte, quæst. 66, art. 3 vbi hac ratione Cælum Empireum esse probat: *Inchoata, inquit, est spiritualis gloria ab ipso Mundi principio in beatitudine Angelorum, quorum æqualitas Sanctis promittitur. Vnde conueniens fuit, vt etiam à principio corporalis gloria inchoaretur, in aliquo corpore, quod etiam à principio fuerit absque seruitute corruptionis, & mutabilitatis, & totaliter lucidum: sicut tota creatura corporalis expectatur post resurrectionem futura. Et illud ideò dicitur cælum empyreum, id est igneum non ab ardore, sed à splendore.*

Hoc Cælum Empyreum eiusdem naturæ ac substantiæ cum alijs cælis, proprietate verò & excellentia sua reliquos omnes multis modis antecellit. Primò reliquorũ omnium supremum est, 2. quoad quantitatem reliquorum omnium corporum maximum est, tertiò iam inde à creationis suæ principio vltima sua donatum fuit perfectione, reliqui cæli non item, quemadmodum affirmat S. Thomas 2. sent. dist. 2. & 12. 4. immortale est. 5. finis eius sublimior est quam omnium reliquorum: hi enim hominibus tantùm inseruiunt dum in exilio hoc degunt, at Cęlum Empyreum sedes ac thro-

ac thronus Sanctissimæ Trinitatis hominibus beatis seruiet in perpetuum. 6. in hoc Cælo Angeli creati fuerunt, veluti asserit D. Thomas loco citato quæst. 61, art 4. ad 2. 7. in hoc thronus est Sanctissimæ Trinitatis, vbi Deus à Beatis videtur de facie ad faciem. 8. in hoc Cælo felicissima omnium beatorum sedes est, qui ibidem fruuntur cōtemplatione infinitæ Maiestatis diuinæ. 9. Cælum hoc totum perlucidum est ac resplendens, ideoq; Empyreum appellatur, id est, igneum, non ob calorem, sed propter splendorem. & quia subtilissimum est, nullos splendoris sui radios emittit sicut Sol & stellæ, quarum densior est materia. In quo errauit Augustinus Eugubinus, credens cælum Empyreum ex natura sua lucem esse increatam, & Deo coæternam, vtpote quæ ex diuina (vt ipse credebat) resultauit essentia, vbi Deus secundum se resider, & Beatis omnibus sese fruendum præbet, sic in Cosmopoeia sua scribit & in tractatu de naturis corporeis. Sed hæc opinio falsa est, nam iuxta veram Theologiam solus Deus increatus est, reliqua omnia facta sunt & creata, & principium habuerunt. Atque ita Cælum Empyreum totum est perlucidum, at non est lux, Deus ipse, sicut ait Scriptura, lux appellatur, quæ hominum mentes illuminat, iuxta illud S. Ioannis, *Erat lux vera quæ*

ra quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1.

Obseruandum hic est, etsi de fide nostra non sit eiusmodi Cęlum esse, neque expressa eius in sacris literis mentio fiat; nihilominus tamen idipsum velle negare summa fuerit temeritas, cum tot SS. Patres, tantique Theologi communi consensu illud affirmauerint, vnde probabile est, quod Theologorum nonnulli dicunt, Regium Prophetam in Psal. 113. vbi ait: *Cælum cæli Domino*, & Psal. 148. *Laudate Dominum Cæli cælorum*, & Psal. 141. *Portio mea sit in terra viuentium*, Cælum duntaxat Empyreum intelligere, quòd secundùm sententiam illorum Cælum cælorum nuncupatur propter excellentiam & perfectionem, terra verò vocatur propter firmitatem & immobilitatem. Alij similiter existimant Moysen, quando dicit: Gen. 1. *In principio creauit Deus Cælum & Terram*, per cælum intelligere Cælum Empyreum. In hac sententia sunt Strabo, Beda, Alcuinus, & Abulensis in cap. 1. Gen. cum Magistro sententiarum in 2. dist. 2. Alij etiam volunt per cælestem illam Hierusalem & Ciuitatem Dei S. Ioannem in Apocalypsi sua Cælum Empyreum intelligere.

Præterea, de fide quidem nostra est, sedem scilicet Beatorum in Cælo esse, quemadmo-

admodum sanctus Paulus astruit 2. Cor. 5. & 6. dicens: *Habemus domum non manu factam æternam in Cœlis.* Christus quoque ascensurus in Cælum dicit: Ioan. 14. *Vado parare vobis locum.* Item illud: Matth. 5. *Merces vestra copiosa est in cœlis.* Attamen illam sedem Beatorum Cælum Empyreum esse non est de fide, quamquam temerarius cēseri merito debeat, qui illud negare præsumat, propter tot SS. Patrum in hoc vnanimi consensu cōcordantium authoritates & testimonia Isidori scilicet in cap. 9. Deuteronomij, Damasceni lib. 2. de fide orthodoxa, cap. 6. Philonis Iudæi in opificio sex dierum, aliorumque suprà citatorum.

Quomodo autem Beatorum animæ ad Cælum Empyreum perducantur, an eò subitò euolent, simulatque à coporibus separantur? qui eas comitentur? vtrum inde exire possint? aliaque ad statum earum in Cælo pertinentia duobus proximè præcedentibus capitibus satis abundè declarauimus.

DE

DE STATV ANIMARVM BEatarum, in Cælo Empyreo degentium, ac primùm in quo Beatitudo earum consistat.

CAPVT XIV.

IN Cælum Empyreum animæ illæ beatę ingrediuntur, quę in hac vita felicissimè certauerunt, atque ibi à Deo Coronam iustitiæ summa cum gloria accipientes perpetuo gaudio & quiete perfrūētur, quarūm beatitudo non in delicijs humanis, nō in diuitijs terrenis, non in facultatibus & honoribus, aliaue quauis re creata consistit, vti falsò Mahometes in Alcorano suo c. 28. & 47. affirmat, & ante ipsum Cerinthus antiquus hæreticus; sed in solo Deo summo bono, quemadmodum Deus ipse ad Abraham Gen. 15. dicit: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Et Redemptor noster Ioan. 17. ait. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum.* quasi diceret: Beatitudo consistit in hoc, vt nimirum cognoscamus ac possideamus Deum, in quo consentiunt omnes Sancti Patres. Ratio etiam ipsa manifestè conuincit nihil esse, solo Deo excepto, quòd animam reddere beatam possit, quippe cū beatitudinis

vna hæc sit proprietas, omnem scilicet miseriam ac defectum depellere. Vnde Aristoteles lib.1 Ethic.cap.7. Felicitas, inquit, *est bonum sufficiens*, quod nulla alia re indigeat. Hęc conditio nec in diuitijs reperitur, nec in voluptatibus, nec in honoribus aut gloria, aut alia vlla re creata, sed in solo Deo eò quòd (vt rectè probat Sanctus Thomas.*1.2.* quæst. 2, art. 4. atque ipsa etiam docet experientia) quæcunque creata sunt, aliquo laborant defectu, præterquam quòd cùm multis miserijs & malis coniūcta sint. Solus Deus omni caret defectu & miseria atque ab omni malo immunis est & fons omnium bonorum. Altera felicitatis siue beatitudinis conditio est, ita hominis satiare appetitum, vt nihil amplius desideret. Cùm ergo appetitus humanus per se ad omnes res bonas ac perfectas inclinatus sit, nullo alio bono satiari aut expleri potest, quam eo solo quod in se continet omnia bona, omnemq; perfectionem: hoc bonū solus Deus est, infinitū scilicet ac supremū bonum, ac proinde ipse solus satiare & explere potest hominis desideriū. Vnde Propheta de eodem *Psal.* 102. dicit: *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Reliqua omnia omnia quæcunque creata sunt, cùm finita sint & perfectionem duntaxat participatam ac limitatam habeant, cor humanum satiare

omnino

omnino nequeunt. Præterea ipſa experientia docet rebus creatis hominis deſiderium expleri non poſſe, quia nullus in toto Mūdo reperitur, qui omnino contentus ſit, quantumuis diues, potentiaque & ſummis dignitatibus ſit auctus, ſemper enim habet quod appetat. Tertia beatitudinis conditio eſt, vt ad nullam rem aliam ipſa referatur, ſiue ordinetur, ſed vt è contrà omnia alia potiùs referantur ad illam, confirmante idipſum Ariſtotele lib. 10. Ethic. cap. 2. & 7. & S. Auguſtino lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 1. Atque hæc conditio in nulla re creata hactenus reperta fuit, præterquam in ſolo Deo, qui finis eſt vniuerſi, & ad quem ceu finem vltimum omnia referuntur quęcunque in cælo ſunt & in terra, imo etiam ipſe homo, cuius gratia creatus eſt Mundus, Deum ceu vltimum finem ſuum reſpicit, quia ad hunc ſolum finem creatus, vt nimirum Deum amet, illi in hac vita ſeruiat, tandemque in altera vita beatitudinem adeptus, illum perpetuò collaudet. Atque ita nihil eſt, ad quod veluti vltimum finem omnia referantur, ſolo Deo excepto.

Quæcunque ergo hactenus dicta ſunt, id tantum probant, videlicet obiectum illud, quod animas noſtras ſatiet & beatas perfecteque contentas reddat, ſolum eſſe Deum ſummum ac infinitum bonum. Vt autem

autem anima beata ſit, neceſſarium eſt, vt ſummum illud bonum ſibi acquirat, ac ſeſe cum eodem, mediante aliqua operatione, vniat & coniungat. Supereſt ergo vt explicemus qualis illa ſit operatio, per quã anima formaliter (vt Theologi loquuntur) efficiatur beata.

Pro huiuſce rei declaratione, ſciendum eſt, animam à corpore ſeparatam duas retinere potentias, nempe Intellectum & voluntatem, quarum vtraque peculiarem ſuam habet operationem, qua Deo Creatori ſuo anima vniri poſſit. *I*ntellectus operatio eſt cognoſcere, apprehendere, contemplari, voluntatis operatio eſt amare, gaudijs perfrui ac requieſcere. Dico igitur ad eſſentialem animæ beatitudinem vtriuſque potentiæ tam Intellectus quàm voluntatis operationem oportere concurrere, quamuis circa hoc magna controuerſia ſit inter Thomiſtas & Scotiſtas. Illi beatitudinem in ſolo actu intellectus volunt conſiſtere, hi verò in actu voluntatis poſitam eſſe contendunt. Alij porrò, quos & nos ſequimur, in vtriuſque actu beatitudinem conſiſtere affirmant, ita vt anima diuinam intuendo eſſentiam (quod fit per actum intellectus) eodemque fruendo cum amore, qui actus eſt voluntatis, beata eſſe cenſeatur.

Hanc

Hanc opinionem multa confirmant argumenta. Primò S. Scriptura de beatitudine loquens, nunc eam in cognitione Dei, quæ est operatio intellectus, nunc verò in eiusdem fruitione, quæ operatio est voluntatis, consistere dicit. exempli gratia, S Ioannes eam ponit in actu intellectus, dum dicit: Cap. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, &c.* Et Apostolus 1. Cor. 13. ait. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Item S. Ioannes in priori sua epist. cap. 3. *Videbimus eum sicuti est.* In actu voluntatis beatitudinem Psalmista collocat dicens: Psal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Apud S Matthæum Cap. 25. quoque dicitur seruo fideli: *Intra in gaudiũ Domini tui.* Item S. Ioannes Cap. 16. inquit: *Gaudiũ vestrum nemo tollet à vobis.* Dicendum igitur necessariò est, beatitudinem secundùm S. Scripturam in operatione vtriusque potentiæ consistere, quin & in quibusdam S. Scripturæ locis vtriusque potentiæ fit mentio, veluti in Psal. 33. *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus.* Quem locum Hugo de sancto Victore de beatitudine exponit. Et Psalmo 35. vtraque animæ operatio manifestè exprimitur: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos* In qua sententia fruitionem habes, quæ est actus voluntatis, postea

stea subiungit: *Et in lumine tuo videbimus lumen*, & in hac sententia actus intellectus exprimitur. Secundò, opinioni huic astipulatur Benedictus XII. in extrauag. *Benedictus*, vbi postquam definiuisset animas Iustorum, quæ non indigent purgatione, citra omnem Iudicij extremi expectationem diuinæ essentiæ visione frui, subiungit: *Animas his actibus verè esse beatas*. Idem confirmat Catechismus Romanus super ista verba: *Credo vitam æternam*, vbi dicit beatitudinem essentialem in visione ac fruitione diuinæ pulchritudinis cõsistere. Tertiò, sancti Patres etiam beatitudinem nunc in cognitione, nunc verò in gaudio ac fruitione collocant, & si qui eorum fortè dicant contemplationem Dei, qui summum bonum est, beatitudinem esse, intelligendum est eos loqui de contemplatione amoris voluptatisque plenissima: atque ita sub eadem etiam operatio voluntatis comprehendetur. Quartò, opinio nostra hac ratione stabilitur: Si in essentiali nostra beatitudine anima Deum non complecteretur, vtraque operatione tam intellectus quàm voluntatis, iam beata non esset, quia non esset contenta, cùm non minùs desideret Deum, summum scilicet bonum cognoscere, quàm eodem frui. Quamobrem sequitur animam harum operationum vna sola

ſola duntaxat beatam eſſe non poſſe: nam cùm altera operatione Deum cōplecti deſideret, nunquam quieta futura erit. Vnde neceſſariò concluditur, ad Beatitudinem vtramque animæ concurrere operationem, Intellectus videlicet ac voluntatis.

AN OMNES ANIMAE æqualiter ſint beatæ.

CAPVT XV.

IOuinianus, quemadmodum refert S. Hieronymus lib. 2. contra eundem, hanc defendit ſententiam, nempe quoad Beatitudinem animas omnes eſſe æquales, neq; vnam altera futuram beatiorem, ſimulque credidit poſt Iudicium etiam omnes æqualiter beatas futuras. Sed hic error fidei noſtræ contrarius eſt, quæ vnam altera magis beatam fore docet, id eſt; Non omnes animæ æqualiter Dei viſione fruuntur, vna enim anima clariùs Deum videt, perfectiuſque eo fruitur quàm altera; atque ita ſicut nec pœna damnatorum, ſic ob eandem cauſam nec gloria beatorum æqualis eſt. Quod ipſa quoque S. Scriptura nobis apud S. Ioannem Cap. 14. indicat dicens: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Itemque Apoſtolus ad Corinthios 1. Corinth. 15. *Stella à ſtella differt in claritate, ſic & reſur-*

rectio

rectio mortuorum Et 2. Cor. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet.* Quò quis igitur in hoc Mundo plura semina iecerit operum meritoriorum, eò copiosiorem ac vberiorem in Cælo fructum metet gloriæ. Vnde meritò in Concilio Telensi sub Ciricio Papa, itemque in Concilio Florentino in decreto de vnione Iouinianus condemnatus fuit. Idem docuerunt Sancti Patres, vti S. Augustinus lib. de virginitate cap. 23. vbi inquit: *In multis mansionibus honoratur, alius alio clarius.* Et sanctus Gregorius 4. moral. cap. 42. super hæc verba S. Iob. *Paruus & magnus ibi sunt,* ait: *Quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendit.* In eadem sententia est & S. Thomas in 1. 2 quæst. 5. art. 2. vbi huiusmodi vtitur ratione: Beatitudo, inquit, beatorum meritis respondet, si ergo eorum merita nõ sunt æqualia, non etiam æqualis erit ipsorum beatitudo. Dicet aliquis, hoc parabolæ isti, quæ apud S. Matthæum Cap. 20. legitur, videtur contrariari, in qua omnes operarij æqualem dicuntur recepisse mercedem, cum tamen alij alijs diutiùs in vinea Domini laborassent. Respõdeo id sentẽtiæ nostræ minimè repugnare, quandoquidem & in Cælo omnes eodem Deo fruentur, qui est obiectum beatificum; nihilominus tamen subsistit illa S. Thomæ sententia, quæ vnum

num alio perfectiùs Deo frui affirmat: Atq; hoc modo S. Augustinus etiam & Sanctus Gregorius ad locum citatum respondent.

Iam si quis quærat, in quo consistat hæc Beatitudinis inæqualitas? respōdeo in hoc, quòd nimirū anima magis beata perfectiùs & clariùs diuinam videat essentiam, vnde fit, vt per eandem beatificam visionem plures Dei videat effectus ac perfectiones. Dico animas singulas totum videre Deum, vidēt enim omnia, quæ ad naturam & essentiam eius pertinēt, iuxta illud S. Ioannis: (1. *Ioan.* 3.) In Cælo *videbimus Deum sicuti est*; nihilominus tamen subsistit, animam quæ maius habet lumen gloriæ, clariùs etiam videre omnia ea quæ ad naturam & essentiam Dei pertinent, eodemq; perfrui modo quodam perfectiori.

Porrò si causam huius inæqualitatis requiras, respondeo esse inæqualitatem luminis gloriæ, lumen enim illud animam eleuat & ad contemplandam diuinam essentiam confortat, sine quo anima visionē beatificam non potest producere. hinc est, quòd, quò maiori perfectiorique lumine anima adiuuatur, eò perfectiùs etiam & clariùs Deum videat. Si causam inquiras, quare quibusdam animabus maius lumen gloriæ cōmunicetur, dico propterea quòd in hac vita plura fecerint opera meritoria,

maio-

maioremque habuerit charitatem. Hinc manifestum fit quantum homini nascatur detrimenti, si oblatam benè operandi occasionem negligat, quippe cum iustus, quò plura facit opera bona, eò etiam plus mereatur, maiorem gratiam, maius meritum, ac maiorem denique beatitudinem acquirat, vnus autem beatitudinis gradus pluris quàm vniuersus Mundus est æstimādus.

Caietanus circa hanc materiam habuit opinionem eiusmodi, vt non absque ratione ab alijs reiectam ac reprobatam fuisse arbitrer, estque hæc: eam scilicet animam, quæ prę alia intellectu pollet perspicatiori, licet æquali lumine gloriæ prædita sit, perfectius tamen videre Deum, vide par. 3. quæst. 10. art. 4. Ex hac Caietani doctrina, sequitur beatitudinem non lumini gloriæ, nec personæ meritis respondere, cùm ita etiam meritò & lumine gloriæ existente æquali, beatitudines possint esse inæquales; quod non est conforme S. Scripturæ, quæ 1. Cor. 9. dicit: *Qui parcè seminat parcè & metet.* Item ad Rom. 2. *Reddet vnicuique secundum opera eius.* Contra Caietanum disputat Dominicus Soto in 4. sent. dist. 48. quæst. 3. art. 2.

Hìc dubium quoddam occurrit, nempe, Si anima beata totum Deum videt, cum

omnibus accidentibus, quæ ad naturam eius pertinent, quemadmodum præsenti hoc capite est demonstratum, Ergo anima beata comprehendit Deum, quod omnes Theologi negant, neque malè quippe qui infinitus est, & infinitè simul cognoscibilis. Quomodo ergo anima beata (cuius intellectus finitus est, finita etiam cognitio, & finitum lumen gloriæ) Deum cognoscendo potest comprehendere? Respondeo Deum cognoscere cum omnibus ijs, quæ ad naturam & essentiam eius pertinent, non esse propriè Deum comprehendere, de natura enim Dei cognitio haberi potest infinitè perfecta, & talem cognitionem solus Deus habet de seipso, quippe qui solus possit infinitè ac perfectè cognoscere. *Præterea* vt vera aliqua dicatur cõprehensio, necessarium erit cognoscere non tantum essentialia naturæ diuinæ, sed & omnes eius effectus possibiles, qui infiniti sunt, eminenterque in essentia diuina comprehẽduntur, atqui hos beatorum animæ scire non possunt, quamuis totam diuinam videant essentiam: sicut qui Solem videt, totum quidem solem videt, non tamen omnes effectus cernit quos producere potest, eminenterque in eo continentur. Omnia hæc plurimum faciunt contra Aetium & Eunomium hæreticos, qui Deum à creatura

tura comprehendi posse aiebant, contra quos SS. Patres disputant, vti S. Basilius lib.1. contra Eunomium, & in epist. 168. S. Chrysostomus homil. contra Anomeos. Nazianzenus in orat. 2. de Theologia, S. Augustinus in epist. 112. capite 8. Sanctus Thomas in 1. part. quæst. 12. art. 7.

DE HIS QVAE EX BEAtitudine consequuntur.

CAPVT XVI.

PRimò ex Beatitudine nascitur impeccabilitas, vt ita dicam, contra Origenem lib. 1. Periarcon cap. 6. qui beatos etiam peccare posse existimabat. Ratio est, quia cum beatus diuinam videat essentiam, infinitum scilicet omnis bonitatis ac perfectionis pelagus, ita firmiter tota sua volũtate eidem coniungitur, vt ab eadem separari nullo modo possit: iam verò si peccare posset ab eadem etiam separari posset, atque ita beatitudo non esset æterna, quod est contra S. Scripturam, in qua plurimis in locis vita æterna nuncupatur. Adhæc, si beatorum aliquis peccare posset, nequaquã beatus foret, nam posse peccare imperfectio est ac miseria, iam autem suprà dictum est felicitatẽ, secundùm Aristotelẽ 1. Ethic. c. 7. cùm sit *Bonũ sufficiẽs*, ab ipso beato omnẽ

miseriam & imperfectionem tollere; ita vt subsistere nullo modo possit, beatum esse quempiam & simul posse peccare. Adde, quòd si peccare posset anima beata, gaudium eius non esset futurum perfectum: etenim scire solummodo quòd peccare possimus, & peccando summum illud bonum perdere, molestum est & summopere affligit, quod est contra illud S. Ioannis cap. 16. *Vt gaudium vestrum sit plenum.* Et S. Petrus epist. 1. cap. 1. Beatitudinem hæreditatem vocat incontaminatam ac immarcessibilē, quod verum non esset, si quis beatus peccare posset. Idem S. Augustinus in Enchiridio suo cap. 105. confirmat dicens: Sic oportebat priùs hominem fieri, vt & benè velle posset & malè: postea verò sic erit, vt malè velle non possit. Quærat aliquis vnde nascatur eiusmodi impeccabilitas in beato? Scotus in 4. dist. 49. quæst. 6. censet eam nasci ex voluntate Dei, qui cùm in beatis sui fruitionem ac felicitatem illā velit esse perpetuam, non concurrit cum illis in opere malo, quo eiusmodi fruitionem perdere possint. S. Thomas in 1. 2. quæst. 4. art. 4. & lib. 3 contra gentes, arbitratur ex natura nasci status beatifici: nam cùm beatus summum illud bonum diuinæ essentiæ clarè intueatur, non potest ab eodem separari, in essentia enim diuina, tanquam in fonte pro-

te pro-

te proprio, omnia bona sunt modo quodã perfectissimo, in qua anima beata summam percipit oblectationem, & gaudium ab omni fastidio remotum. Confirmatur etiam hæc S. Thomæ sententia ipsa experientia, qua docemur bonum aliquod apprehensum non prius deserere, quam aliud apprehendamus quod melius sit, maiorẽque nobis adferat oblectationem & satisfactionem, quod beatis accidere nullo modo potest cùm nihil habere possint melius ipso Deo, qui beatitudo eorum est, nec quicquã maiorem illis oblectationem afferre queat quam ipse Deus, vtpote qui fons & origo est omnis boni.

Secundò, tanta animæ ex beatitudine nascitur voluptas & oblectatio, vt hac sola satiata & expleta nullarum aliarum rerum desiderio inquietari vlla ratione vlterius possit, ijs solis quibus fruitur gaudijs absolutissimè contenta. Ratio est, quia quod beati animam explet, summum bonum est, eiusque captum infinitis modis excedit, atque hinc totum eius implet desiderium, iuxta illud Psalmistæ *Psal. 102. Replet in bonis desiderium tuum.* Et Psal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Item in lib. Sapientiæ cap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Et cap. 8. *Non habet amaritudinem conuersatio eius, neque tædium conuictus illius, sed*

lætitiam & gaudium. Terrenæ opes, ait S Gregorius, *magnum sui in pectore excitant desiderium, si ijsdem careas, si verò affluas maximũ generant fastidium.* Atqui cum alterius vitæ beatitudine aliter se res habet, quia hæc(vt ex locis iam citatis colligitur) faciat absq; omni fastidio ac sollicitudine.

Dicat quispiam, anima beata desiderat corporis sui gloriam, ac cum eodem vniri exoptat, Ergo non est omninò contenta. Respondeo animam corporis sui gloriam desiderare, simulque cũ eo vniri, propterea quòd eiusmodi desiderium diuinæ voluntati sciat esse conforme. Deinde etiam tale desiderium omni caret sollicitudine, eò quòd vtrumque horum fieri anima desideret suo tempore determinato, quando nimirum ita visum fuerit Deo, quale scilicet etiam est desiderium illud, quo animæ iam beatæ nostram desiderant salutem. Verùm dices fortassè: Anima beata maiorem exoptat beatitudinem, ergo totum illius desiderium non est expletum. Respondeo animam sua beatitudine contentam esse, neque desiderare maiorem, quippe quæ nouit beatitudinem eam quam possidet sibi conuenire, non autem maiorem: nam veluti puer quispiam non desiderat vestem hominis grandioris staturæ quantumuis pretiosiorem, sed parua veste corpori suo

accommodata contentus eſt; ita etiam anima beata contenta eſt felicitate à Deo illi conceſſa ſecundum meritorum ſuorum proportionem.

Tertiò ex beatitudine animæ beatæ certa quædam naſcitur ſecuritas nunquam felicitatem & gaudium ſuum amittendi. Ratio eſt, quia S. Scriptura vti ſupra dictum eſt multis in locis, beatitudinem vitam æternam appellat, ſi æterna eſt, ergo nunquam ceſſabit. Hęc doctrina eſt contra Origenem qui beatos aliquando miſeros fieri credebat, veluti de eo narrat S. Auguſtinus lib. de hæreſibus, hæreſi 43. Quem Origenis errorem impugnant S. Gregorius lib. 34. moral. cap. 11. S. Auguſtinus lib. 12 de ciuit. Dei cap. 20. & S. Thomas in 1. 2. quæſt. 5. art. 4. eundem errorem ſequenti ratione refutat: Beatitudo, cùm ſecundum Ariſtot. loco ſuprà citato ſit *bonum ſufficiens*, totum Beati deſiderium perfectè adimplet, & ab eodem omnem miſeriã auertit, iam inter alia quæ deſiderat beatus, eſt felicitatis ſuæ perpetuitas, de qua ſi dubitaret, iã affligeretur, atq; ita miſeria quadã afficeretur. Pręterea Beatitudo nõ poteſt eſſe imperfecta ex parte Dei qui perfectus eſt, neq; à quopiã aufert quod dedit, niſi propter ſolum peccatum, quod in beato non inuenitur: neque ex parte voluntatis animæ beatæ, quę cũ beatitudinem

habeat absolutissimam, etiam habet in omnibus quæ desiderant satisfactionem absq; omni tædio, veluti iam supra dictum est. neque à re quapiam externa hæc beatitudo auferri potest vel impediri, quippe cū anima mediante beatitudine quouis agente aut re creata sit efficacior. Vnde S. Ioannes 1. Can. 16. dicit. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Quartò, alia etiam in anima beata securitas nascitur, qua nimirum cognoscit beatitudinem ac gaudium suum non modo tolli non posse, sed nec vlla ratione etiam impediri, saltem aut perturbari, quemadmodum subinde mortalis huius vitæ voluptates interrumpuntur: Ratio est, quia in Cælo nulla est aduersitas, nulla mortis violētia, nullæ ægritudines, nulla senectus, nulla infirmitas, nullum denique odium aut inuidia, sed omnes in summa pace & charitate viuunt, vnusquisque inquam de sua felicitate gaudet, alijs verò de ipsorum beatitudine gratulatur.

DE REBVS QVAS ANIMAE *beatæ in Essentia diuina contemplantur.*

CAPVT XVII.

Beato-

Beatorum animas præter essentiam diuinam alias etiã res cognoscere apud omnes Theologos in confesso est, de modo autem quo cognoscunt non conuenit inter omnes. Occham in 4.q.13. Gabriel in 3. dist. 4. quæst. vnica, art. 1. & Ioannes Mairo in 4, dist. 49. quæst. 16 negant animas beatorũ in verbo per eandem visionẽ beatificã aliquas videre creaturas, sed per alias notitias aut reuelationes eas dicunt cognoscere: & quoniam notitiæ istæ visionem beatificam consequuntur, & cum eadem etiam cõiunctæ sunt, hinc est quòd animæ beatæ creaturas illas videant in verbo. At communis Theologorum sententia huic contrariatur, vt S. Thomæ in 1. par. quæst. 12, art. 8. & in lib. contra gentes cap. 59. Alensis in 3. par. quæst. 13. Marsilij in 3. quæst. 10. & aliorum in 4. sent. dist. 49.

Dico ergo omnes animas beatas, eas etiã quæ minima præditæ sunt beatitudine, in Deo aut essentia diuina, siue in verbo (quod idem est) omnium rerum, quæ vnquam productæ sunt, videre species & naturas. Ratio est, quia omnes beati naturale quoddam habent desiderium eiusmodi res cognoscendi: iam verò superius dictum est beatitudinem omnia illa beatorum desideria adimplere. Secundò, omnia ea nouerunt, quæ in hac vita sola fide tenemus, ve-

luti ex S. Paulo 1. Cor. 13. colligitur qui dicit: *Videmus nunc per speculum in ænigmate*, quod est fides, *tunc autem facie ad faciem*. in Cælo enim beatifica illa visio succedit obscuræ illæ cognitioni quam hic in terra habemus per fidem. Ita S. Thomas docet in 2. 2. quæst. 1. art. 5. Tertiò, etiam omnia ea vident quæ ad statum suum pertinent, exempli gratia; S. Franciscus nouit omnia quæcunque inter ordinis sui fratres tractantur, item Rex quilibet beatus, quid in regno suo accidat, quidue geratur, cognoscit. Quartò beati omnes orationes seu preces intelligũt quæ ad ipsos funduntur, tum quia hæc ad statum eorum spectant, tum etiam quia omnes beati desiderium habent eiusmodi res cognoscendi, quemadmodum idipsum affirmat etiam S. Thomas in 3. par. q. 10. art. 2. Quintò de reliquis omnibus rebus quæ vel creatæ sunt, vel creari possunt, anima tantò plùs vel minùs cognoscit, quantò plùs vel minus habet de lumine gloriæ. Et hæc est doctrina S. Thomæ par. 1. quæst. 12. art. 6.

Verum omnia hæc suprà dicta beatorum animæ non per proprias species cognoscunt, non enim prout in se sunt, ac in propria natura cognoscunt, sed in essentia diuina, quare per eandem essentiam diuinam il-

nam illa cognoscunt, quæ quoniam cum intellectu animæ beatæ vnita est, id supplet, quod alioquin propriæ species facturæ fuissent, intellectui nimirum dictas creaturas illas, quas eminenter in se continet, repræsentando.

Circa modum, quo beatorum animæ preces & orationes nostras percipiunt, diuersæ aliquantulum Theologorum sunt sententiæ. Caietanus in 3. par. quæst. 10. art. 2. Soto in 4. sent. dist. 49. quæst. 3. art. 3. & Durandus in eadem dist. quæst. 3. dicunt Beatorum animas preces nostras non in Essentia diuina cognoscere, sed per particulares reuelationes. Ratio Caietani est: Si in Verbo eas cognoscerent, iam sequeretur aliquem, qui minus beatus sit plura videre in verbo, quam is qui magis beatus sit, si nimirum ad illum frequentiores orationes dirigantur. Sed probabilius est, Beatorum animas preces nostras in verbo cognoscere, vti existimat S. Thomas in 2. 2. quæst. 83. art. 4. ad 2. & in 3. par. quæst. 10. art. 2. Ratio est, quia (sicut iam dictum) ad perfectionem status eorum pertinet. Deinde secundũ primã illã opinionẽ infinitas reuelationes admittere necessarium foret, quod videtur esse absurdũ. Ad rationẽ Caietani respondetur, animam magis beatam ex hoc, quia maius lumen gloriæ habet,

alias diuersas res ac plures numero videre quàm sint orationes quæ ad animas minùs beatas diriguntur: interim tamen non negatur animas beatas multa per reuelationes cognoscere, vti superiùs demõstrauimus, sed dicimus tantùm eas etiam plurima videre & cognoscere in Essentia diuina.

Quod communiter dicitur creaturas in verbo tanquam in speculo videri, verum est hoc sensu: quemadmodum scilicet qui speculum videt, simul etiam eiusdem speculi virtute ac beneficio imagines cernit in eo repræsentatas; sic etiam qui Essentiam videt diuinam, illius beneficio creaturas pariter videt in eadem repræsentatas. Verùm hæc similitudo non vndequaque vera est, Essentia enim diuina non à creaturis recipit species intelligibiles, sicut speculum speciem recipit rei repræsentatæ, præterea in speculo, secundum quosdam, duæ sunt visiones, quarum vna speculum videmus, altera verò rem ipsam repræsentatam; anima autem beata per vnam eandemque beatificam visionẽ Essentiam diuinam simul videt & creaturas, quæ in ipsa relucent.

Hic dubium aliquod occurrit, an nimirũ animæ beatæ omnia illa videant quæ in Deo sunt eminenter? Respondeo quòd non, neque enim per ordinariam Dei legẽ omnia illa videre possunt. Idem confirmat

S. Tho-

S. Thomas part. 1. quæst. 12. art. 8. & lib. 3. contra gentes cap 56. probaturque testimonio S. Scripturæ, quæ apud Sanctum Matthæum dicit diem extremi Iudicij neminem scire, neque ipsos Angelos in Cælis. Ratio quoque idipsum declarat: nam si anima beata præter essentiam diuinam etiam omnia ea cerneret quæ eminenter in Deo sunt, iam eum comprehenderet, quod fieri nullatenus potest, vt suprà docuimus cap. 14.

Dicat aliquis, si anima beata totam videat essentiam diuinam, hæc autem omnia tanquam in speculo repræsentet quæ per eminentiam continet, quid obstat quò minùs etiam eadem videat repræsentata? Respondeo id fieri non posse, eò quòd Deus non concurrat cum intellectu creato ad cognoscenda omnia, sed ad partem solùm concurrat conformem scilicet mensuræ meritorum animæ beatæ. An verò absoluta Dei potentia intellectus omnia hæc cognoscat, quia scholastica quæstio est, hîc ab eadem tractanda superse debimus.

DVBIA ALIQVOT CIRCA *animarum beatitudinem.*

CAPVT XVIII.

PRimum, quod occurrit, dubium est, an beatitudo, qua in Cælo animæ Beatæ perfruuntur, in hac vita mortali etiam haberi possit? Quidam hæretici partem affirmatiuam defenderunt, vti scribit S. Basilius in Epist. 168. & Theodoretus lib. 4. Hæret. Fabul. At horum error condemnatus fuit in Conc. Viennensi, refertur que in Clemētina ad Nostrum de Hæreticis. Catholica veritas est, secundum legem Dei ordinariā impossibile esse eam habere in hac vita. Ratio est, quia beatitudo, sicut superiùs commemorauimus, in clara visione ac perfecta fruitione Dei consistit. Et quidem Deus ipse in Exodo dicit: *Non videbit me homo & viuet.* Idem Sanctus Paulus significat dicēs: Hebr. 13. *Non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* Et S. Thomas in 1. 2. quæst. 5. art. 3. eandem veritatē probat hac ratione: Cùm beatitudo totum desiderium nostrum adimpleat, & miseriā omnem excludat, hinc est quòd in hac vita haberi nequeat, nā cùm ea mortalis sit, fieri nullatenus potest, vt illius bona perpetuò vsur-

vſurpemus; deinde in hac vita ſemper circumſtant nos horror mortis, variæque infirmitates, omni momento calamitates incidunt, intellectus ignorantiæ ſubiectus eſt, voluntas verò malitiæ, corpus denique ipſum mille ſubiacet miſerijs, ad extremū in hac vita: *Nemo eſt ſua ſorte contentus.*

Secundum dubium eſt, an Beatitudo animæ cum corpore vnitæ perfectior futura ſit, quàm eſt animæ à corpore ſeparatæ? Reſpondeo beatitudinem tum futurā perfectiorem & maiorem extenſiuè, intenſiuè verò eandem remanere, quos terminos, quoniam ſcholaſtici ſunt, clarius nōnihil explicabo. Nunc quidem anima beata beatitudinem ſuā habet in ſe, atquando corpus reſumet, eandē cū corpore communicabit, atque hoc eſt maiorem fieri beatitudinem extenſiuè. Dico præterea animam non ſolum ex beatitudine ſua ſummam percepturam voluptatem, ſed et accidentali quodā afficiēdam gaudio ob corporis ſui beatitudinem & gloriā: procul dubio enim anima maiori afficietur lætitia vbi corpus ſuū videbit glorioſū, quā nūc cū mortuū illud cernit iacere in ſepulchro. Atq; hinc quidē beatitudo maior erit, ſed accidentaliter tantū. Quod verò intenſiuè ea ipſa futura ſit beatitudo animæ à corpore ſeparatæ, quæ erat eiuſdē cū corpore adhuc coniūctę, manifeſtū

est, quia obiectum beatificum erit idem, eadem erunt merita, idemque lumen gloriæ: Ergo etiam beatitudo eadem erit cum præsenti beatitudine, vtrumque sequenti declaratur exemplo: Candelæ lumē quò plures intrabunt in cubiculum, in quo illud relucet, eò plures illuminabit, eoque pluribus communicabitur, & tamen lumen illud per se idem manet, eadem omnino ratio est cum beatitudine. Obijciet mihi quispiam: Anima corpori suo vnita perfectior est, ac perfectiùs etiam operatur. Ergo vbi cū corpore coniuncta fuerit operationem quoq; beatificam producet perfectiorem. Respōdeo verum id esse in operationibus naturalibus, quas illa vi & potentia sua naturali producit; verum ad beatificam visionem necessariò requiritur lumen gloriæ, sine quo anima nequit beatificam producere operationem. Quamobrem si post corporis resurrectionem & vnionem cum anima lumen gloriæ non maius sed idem futurū est, sequetur etiam beatitudinē prorsus remanere eandem. Et hęc doctrina est S. Thomæ in 1. 2. quæst. 4. art. 5. ad 5. Caietani in eundem locum, Durandi in 4. dist. 49. qu. 7. & aliorum complurium Theologorum, quanquā S. Thomas in 4. dist. 49 quæst. 1. art. 4. contrariū defendit cū Magistro sent.

Tertium dubium est, an ad acquirendā bea-

beatitudinem necessaria sint opera bona? Multi hæretici tam antiqui quàm moderni putauerunt non esse necessaria; at S. Scriptura adeò manifestè contrarium docet, vt, quanta hæreticorum cæcitas sit, abundè euidenter demonstret. Apud S. Matthæum Cap. 19. Christus Adolescenti quærenti quid faciendo saluus fieret, respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* & cap. 20. operarijs non fuit data merces nisi quia in vinea laborauerant. Quinetiam Christus pro bonis operibus retribuet beatitudinem, sicut pro malis condemnationem, & pœnas Inferni. Vnde bonis dicturus est: Matth. 25. *Possidete regnum*, deinde subiunget causam: *Esuriui enim & dedistis mihi manducare.* Et S. Paulus ad Rom. 8. ait. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Item S. Petrus in Epist. 2. cap. 1. *Satagite* (inquit) *vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Dico prætereà adultis non tantùm opera bona esse necessaria, sed etiam fidem, sine qua impossibile est placere Deo, vt S. Paulus inquit ad Hebr. 11. Hæc fidei veritas est à SS. Patribus approbata, à sacro Concilio Tridentino definita sess. 6. cap. 11. can. 20. Adultis dixi esse necessariam fidem præter opera bona, nam pueris seu infantibus opera & merita Christi sufficiunt per virtutem S. Baptismatis à

tis à Christo illis incorporata.

Quartum dubium est, an Beatitudo solis viribus naturalibus acquiri possit? Respondetur quòd non, necessarium enim est ad hoc diuinum auxilium, quemadmodum illud S. Scriptura multis in locis affirmat, veluti ad Roman. 6. cap. vbi inquit: *Gratia Dei vita æterna.* Et apud S. Ioannem cap. 10. Christus de ouibus suis loquitur dicens: *Ego vitam æternam do eis.* Et in Psalmo 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Et iterũ Psalmista Psal. 138. inquit. *Etenim illuc manus tua deducet me,* id est, ad Cælum absque diuino auxilio peruenire nemo potest. Ipsa quoque ratio idem manifestè demonstrat: cùm enim beatitudo naturam humanam excedat, idcirco opus est lumine supernaturali gloriæ, quo eleuetur anima ad visionẽ Dei. Ergo anima suis viribus naturalibus non potest beatitudinẽ acquirere. S. Thomas in 1. 2. quæst. 5. art. 5. idem affirmat, quia anima rationalis (inquit ille) nullam habet proportionem ad Deum, qui est obiectum beatificum, quod est ordinis longè eminentioris. Dicet quispiam, si ita est, sequitur naturam esse imperfectam, iisque rebus carere quas necessariò habere debebat, quippe cùm homo ex seipso finem suum, ad quem creatus est, consequi non possit: deinde etiam sequitur hominem vilioris

esse

eſſe conditionis quàm omnes reliquæ beſtiæ naturales, quæ ex ſeipſis finem ſuum naturalem conſequuntur. Reſpondeo, ſi homo nullatenus beatitudinem ſuam, quæ finis eius eſt, conſequeretur, verè natura rebus ad eandem neceſſarijs eſſet deſtituta: ſed quoniam hanc beatitudinem, mediante auxilio diuino, quod ſemper nobis præſto eſt, aſſequi valet, non ſequitur naturam rebus neceſſarijs carere. Ad alterum reſpondeo, obiectionem hanc excellentiam potius ac dignitatem demonſtrare tam hominis quam eiuſdem finis, vtpotè qui adeò excellens ſit, tantæque dignitatis, vt ad eum aſſequendum diuino opus ſit auxilio: at aliarum rerum naturalium finis humilis eſt & abiectus, atque ideò facili etiam negotio illum conſequi poſſunt.

Quintum dubium eſt, an preces & ſuffragia facta pro anima ex Purgatorio liberata & beatam iam vitam in Cælo agēte, eandē aliquo modo adiuuent? Reſpondeo, iuuare quidem eam nō tam quo ad ſatisfactionē, quippe quæ illam iam compleuit, quā quoad honorem, orationibus enim & oblationibus noſtris anima illa honoratur, vti Eccleſia ait in ſecretis ſacræ Miſſæ: *vt illis proficiant ad honorem, nobis autem ad ſalutem.* Et S. Auguſtinus in Enchiridio ſuo cap. 110. loquens de ſuffragijs inquit: *Pro valde*

bonis,

bonis (beatos intelligit) *gratiarum actiones sunt*. Hinc est quod suffragia offerri non debeant pro animabus beatis, quæ regnant cum Christo, quemadmodum dicit Innocentius III. in cap. *Cum Martha extra de celebr. Missarum*. Et S. Augustinus de cura mortuorum cap. 1. demum etiam scholastici Theologi in 4. sentent. dist. 45. docēt quòd propriè suffragijs istis animæ iuuari non possint, iam enim liberæ sunt à pœnis pro quibus suffragia erant instituta. Verum tamen est oblationes nostras duobus modis beatorum animas iuuare posse quoad gloriam accidētalem. Primò siquidem ex hoc ipso oblectationem capiunt, quòd nos oblationibus nostris Deo reddamus gratias pro donis ijs animabus collatis. Vnde S. August. & Innocent. locis citatis dicunt oblationes nostras pro sanctis gratiarum esse actiones. Secundò suffragia nostra in hoc iuuant animas beatorum, quòd honor iste, quo nos Sanctos oblationibus nostris afficimus, in nostram redundet vtilitatem, ex quo ingens gaudium percipiunt animæ beatorum ob charitatem quam erga nos gerunt. Huic consonat illud quod in sacrificio Missæ de Leone Papa in oratione secreta dicitur: *Vt per hæc piæ placationis officia & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ dona concilientur.*

Sextum

Sextum dubium eſt, an beatorum animabus in Cælum abeuntibus neceſſariò per ignem tranſeundum ſit? Reſpondeo multos Patres huius quæſtionis partem affirmatiuam ſuſtinuiſſe, veluti S. Ambroſius ſerm. 20. ſuper Pſal. 118. inquit: Quemadmodum ingredientibus Paradiſum terreſtrem ignitum gladium pertranſire neceſſe eſt; ita etiam cæleſtem Paradiſum intrare volentibus per ignem neceſſariò tranſeundum. S. Hilarius ſuper hæc verba Pſal. 118. *Concupiuit anima mea.* Beatam virginem etiam per ignem tranſiuiſſe ſignificat. Lactantius lib. 7. diuin. Inſtit. cap. 21. S. Hieronymus cap. 7. de Amos, & Rupertus in Geneſ. lib. 3 cap. 32. in eadem ſunt ſententia. Quidam hoſce Patres ita interpretati ſunt, quaſi per ignem non Purgatorij ignem, ſed diuinum Iudicium intellexerint, ſicut & illud 1. Cor. 3. intelligitur, quando dicitur: *Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit*, id eſt Iudicium diuinum. Atque ita omnes per hũc ignem tranſibimus, ſolo Chriſto excepto. Veritas porrò hæc eſt, aliquos dictorum iã Patrum verum Purgatorij ignem intelligere, vti Lactanctius, Rupertus & S. Ambroſius in Pſal 36. de quibus dici non poteſt quòd per ignem Iudicium intellexerint: veruntamen Purgatorij ignem *Iuſtos* ita tranſire affirmant, vt inde pœnam ac læſionem

onem nullam sentiant. Beda in lib. 3. Histor. Anglic. cap. 19. visionem quandam de B Furseo huic opinioni maximè congruentem commemorat. dicit ergo, virum istũ sanctum vidisse maximas ignis flammas in via ad cælum ducente, eamque viam nonnullos ambulasse ab igni prorsus intactos, alios verò ab eodem plus minusue fuisse læsos.

Iam ad dubij enodationem dupliciter respondeo. Primò, si quis dicat iustos omnes antequam Cælum ingrediantur Purgatorij ignibus purgari, veluti Alcuinus & Origenes hom. 14. in Lucam & in Psal. 36. affirmant, manifestus est error: Concilium enim Florẽtinum sess. vltima definiuit, aliquas animas subitò ad Infernum descendere, alias ad Purgatorium, demum alias ad Cælum migrare. Præterea qui accepto S. Baptismate subitò moriuntur, sine omni Purgatorij tormento continuò ad Cælum euolant, quemadmodum docet S. Augustinus de ciuit. Dei lib. 20. cap. 16. Martyres quoque absq; omni igni Purgatorij ilicò præmia cęlestia consequuntur. Secundò dico quòd opinionem istam, quæ affirmat omnibus per ignem esse transeundum, quãuis non omnes pœnam passuri sint (quemadmodum prudenter notat Cardin. Bellar. de Purgatorio lib. 2. cap. 1.) non audeo pro

vera

vera asserere, nec vt erroneam improbare. Et certè quāuis nulla dari causa possit, propter quam necessariò omnibus per ignem istum transeundum sit; authoritates tamen SS. Patrum id affirmantium haud quaquam temerè spernendæ ac contemnendæ esse videntur.

AN ANIMÆ BEATORVM IN Cælo Empyreo existentes, à nobis in necessitatibus nostris inuocari possint?

CAPVT XIX.

DVobus modis pro necessitatibus & desiderijs nostris inuocare quempiã possumus. *Primò*, quatenus ab eo gratiã & dona aliqua speramus tanquam ab eorundem Authore & causa principali, & hic modus soli Deo conuenit, vtpote qui solus omnis boni nobis est Author, dicente Propheta Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*: Et *Psal.* 120. postquam idem Propheta dixisset: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* quo in loco quid Sanctus Augustinus per montes Sanctos intelligat statim subiungit: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram* quasi dicat: Ego manus meas leuo ad Sãctos & amicos Dei, vt pro me intercedant, auxiliũ

verò à Deo expecto Creatore cæli & terræ. Idem testatur Sanctus Iacobus Ca.1. dicens. *Omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Atque ita adorare Deum, tanquam cælestium donorum Authorem, actus est religionis, & Latria dicitur, quomodo nullam creaturam quãtumuis sanctam citra idololatriæ crimen adorare possumus. Et hæc doctrina est Thomæ in 2. 2. quæst. 83. art. 4. & 11. Alter modus est, quo precamur quempiam, vt apud Deum pro nobis intercedat, quò scilicet impetremus id, quod precibus nostris flagitamus ac poscimus, & hic modus conuenit creaturis rationalibus, estque vsurpatus à Sancto Paulo quãdo Collossensibus scribens Cap. 4. ait. *Orationi instate, &c. orantes simul & pro nobis.* Et 1. ad Thessal. 5. *Fratres,* inquit, *orate pro nobis*, quemadmodum etiã compluribus alijs in locis fidelium recenter conuersorum se precibus commendat.

Hosce duos modos Ecclesia in Litanijs nos edocet, in quibus quoties vel Sanctissimam Trinitatem, vel aliquam ex tribus hisce personis diuinis inuocat, dicit: *Miserere nobis, Concede nobis*, quę verba authoritatem ac dominium in eo præsupponunt qui inuocatur, atque hic est primus modus, qui soli Deo competit. Ad sanctos porrò deueniens, ait: *Orate pro nobis, Intercedite pro nobis,*

bis, qua loquendi formula apud mediocres & Aduocatos vti consueuimus, congruitque creaturis.

Hic notandum, à Sanctis immediatè aliquando peti gratiam, veluti apparet in hymno ad B. Virginem: *Tu nos ab hoste protege.* Et in hymno ad SS. Apostolos: *Sanate ægros moribus.* Item S. Paulus 1. ad Corinth. 9 cap. inquit: *Vt omnes facerem saluos.* Verùm non petimus gratiam istam à Sanctis, eodem modo quo petimus à Deo, neque Sanctus Paulus voluit omnes saluos facere, sicut nos saluificat Deus: per gratiam enim, quam à sanctis flagitamus, eam intelligimus quam præstant pro nobis apud Deum intercedendo; sic videlicet Sanctus Paulus omnes saluabat, prædicando, scribendo, & orando pro omnibus. Vbi animaduertendum, Sanctos, quoties intercedunt pro nobis, semper Christum interponere, & quicquid à Deo nobis impetrant, idipsum impetrare per Christum. Hinc apud Ioannem cap. 16. dicitur: *Petite in nomine meo.* Et Ecclesia in orationibus ad Sanctos ipsorum flagitans auxilium, concludit: *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, qui supremus noster & immediatus aduocatus est, vti dicit Sanctus Ioannes in priori sua epistola. Iam hoc capite examinabimus, an liceat nobis Sanctorũ aut animarum beatarũ

in cælis commorantium auxilium & intercessionem apud Deum flagitare? Multi hæretici idipsum negant, Catholica autem veritas licere, & vtiliter etiam illud fieri posse affirmat, quemadmodum in Ecclesia Christi iam tum à principio semper factitatum fuisse costnat.

Verùm hic modus implorandi auxilium à Sanctis, aut quod idem est ab animabus beatorum, quatuor præsupponit. Primò, eos apud Deum in fauore esse & gratia, si quis enim apud Principem aliquem in nullo habeatur respectu, ad gratiam ab eodem impetrandam omnino ineptus erit. Secundò, Sanctos preces nostras, & quidquid ab ijs flagitamus, cognoscere, alioquin enim nequaquam ad intercedendum pro nobis commouerentur. Tertiò, illos à Deo impetrare posse quod postulamus. Quartò & vltimò, velle etiam eos pro nobis intercedere. Hisce quatuor probatis, facilè quoque erit Sanctorum inuocationem constabilire.

Quod ad primum attinet, nempe Sanctos in gratia esse apud Deum, omnino manifestum est, quia sunt in statu gratiæ & amici Dei charissimi, quare Deus ipse ad Isaac Gen. 26. inquit: *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham*, qui iã mortuus degebat in Limbo. Itẽ in

In Exodo ca.32 irato Deo dicit Moyses: *Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorũ tuorũ.* & paulò post sequitur: *Placatusq; est Dominus ne faceret malũ quod locutus fuerat aduersus populũ suũ.* Hæc apertè satis probant Sanctos apud Deũ esse in fauore, quippe in quorum gratiam tãta nobis beneficia præstet. Quantum ad secundum, videlicet Sanctos preces nostras cognoscere, idipsum supra cap.16. probatum est, iterumque probatur: nam si Angeli viuentium preces cognoscunt ac Deo offerunt: iuxta illud Angeli Raphaëlis ad Tobiam cap.12. *Quando orabas cùm lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino*, cur non idem etiam poterunt Sancti & Beati omnes, qui, vt Christus apud S. Lucam cap. 20. inquit, in Cælo Angelis sunt æquales?

Tertiò, Sanctos mediantibus Christi meritis à Deo impetrare posse quæcunq; ab ipsis petierimus, ex primo illo puncto facillimè colligitur: etenim si amici Dei sunt, & in maximo apud eundẽ fauore, ergo potentes quoq; & efficaces sunt ad obtinendã ab eo omnẽ gratiã possibilẽ. Præterea, cùm multi Sanctorũ sanguinem suum ex amore Dei profuderint, multi etiam ad seruiendum Deo ingentes subierint molestias, qua quæso ratione Deus illis quod suppliciter ab ipso flagitauerint poterit denegare? De-

inde si viuentes adhuc gratiam in nomine Sanctorum iam defunctorum à Deo postulatam obtinuerunt, quomodo Sancti ipsi pro nobis orantes votorum suorum non magis compotes fient? Exemplum habemus in Azaria Danielis 3. qui cùm deprecaretur Deum, vt ipsum vna cum socijs suis, propter Abraham, Isaac, & Israël dilectos famulos suos, à periculis eriperet, feliciter quod postulabat obtinuit. Et certè, si Abraham, Isaac, & Iacob à Deo illud petijssent, procul dubio impetrassent.

Quartò demùm, Sanctos velle pro nobis intercedere, hinc etiam non minus quã tria illa præcedentia manifestum euadit, eò quòd intercessio illa opus sit Charitatis, quę (vt S. Paulus 1. Cor. 13. ait) animabus Sanctis in Cælo etiã adhæreſcit, nec vnquã ab illis separatur; quinimo charitas in cælo perfectior est quàm fuerat in hac vita, quare Beati maiori amore & affectione proximos suos prosequuntur in Cælis, quàm cùm nobiscum adhuc conuersarentur in terris. Iam si Beati maiori præditi charitate impensius nos diligunt, quomodo possibile est eos pro nobis amicis suis in necessitate nolle intercedere? Si Apostoli & Martyres (ait S. Hieron. contra Vigilantium) quando nobiscũ fuêre, pro alijs orare potuerunt, cùm de seipsis adhuc essent solliciti, quantò nunc

nunc commodiùs illud præstare valebunt post partam victoriam adeptosque triumphos? Si Abraham, dum in hoc exilio peregrinaretur, deprecatus est Dominū pro Abimelech & ab eodem exauditus, vti in Genesi cap 20. legitur, quomodo in patria iam existens non orabit pro illis, qui se precibus eius commendabunt? Et in nouo testamento, si Stephanus dum lapidaretur, exemplo Christi Magistri sui orantis pro crucifixoribus suis, pro suis etiam carnificibus orauit, quare nunc in cælis coronatus ad exemplum eiusdem Magistri non volet orare pro alijs? Verùm (quòd in hac materia non exiguam vim habet & efficaciam) cum ipse Deus mandauerit amicis S. Iob, vt rogarent illum quatenus oraret & intercederet pro eis, constetque idipsū Iobum libenter præstitisse, tum etiam cum in maximis esset miserijs & calamitatibus, quomodo nunc in cælis summa circumseptus felicitate pro nobis orare recusabit? Certum igitur est Sanctos ad intercedendum pro nobis apud Deum promptos esse ac paratos, quemadmodum Ieremias capite 15. etiam in persona Dei loquitur dicens: *Si steterint, Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*, id est, non exaudiam. Vnde haud difficulter colligitur hosce Sanctos pro alijs intercedere

ſolitos fuiſſe. Et 2. Machab. cap. 15. legitur, Ieremiam mortuũ multum oraſſe pro populo & vniuerſa ſancta ciuitate Hieruſalẽ. Quod ſi illi nondum in Cælo ſed in Limbo ſolum commorantes libenter pro alijs orauerunt, credibile non eſt eos in Cælo, vbi perfectam poſſident charitatem, pro nobis nolle intercedere.

Reliquum nunc eſt vt probemus, licere nobis inuocare *Sanctos*, vt pro nobis apud Deum intercedant pro impetranda gratia, quam ab eo flagitamus. Probatur & deducitur hoc euidentiſſimè ex ijs quę iam dicta ſunt: *Si Sancti* in fauore ſunt apud Deum, ſi pro nobis dona & beneficia obtinere queunt, ſi per charitatem ſuam proni ac parati ſunt ad intercedendum, quare non etiam licebit nobis eorundem flagitare auxilium? *Si* non liceret, iam vel per ſe peccatum eſſet, vel prohibitũ foret: at *Sanctos* eo quo diximus modo inuocare, præterquã quod neque peccatum ſit neque prohibitum, etiam actus eſt humilitatis & deuotionis, ideoque licitus ac permiſſus. Præterea, ſi *Sanctorum* inuocatio illicita foret, Deus tantis eam miraculis non cõfirmaſſet. *S.* Auguſtinus l. 22. ca. 8. de Ciuit. *Dei* plurima adducit huiuſce rei exempla non minùs mirabilia quàm autentica: inter alia commemorat ſuo tempore Mediolani ad inuocationem

SS. Mar-

SS. Martyrum Geruasij & Protasij cæcum quendam sub itò fuisse illuminatum præsente ac stupente vniuerso populo. Ad inuocationem S. Stephani Protomartyris mulier quædam miraculosè visum recuperauit. Narrat præterea ad inuocationem 20. Martyrum, qui in Africa celebres erant, pauperem quendam Sartorem miraculosè votorum suorum compotem factum fuisse. Reliqua miracula, quæ ibidem commemorat S. Augustinus breuitatis causa omitto. Neque hîc recensere opus est omnia illa quæ euenisse alijs SS. Patres commemorant per intercessionem Sanctorũ, quippe quorum exemplorum innumera penè plena extant volumina. Multa etiam recẽsent Theodoretus lib. 5. hist. cap. 24. & lib. 8. ad Græcos. S. Ambrosius serm. 90. de S. Agnete. Gregorius Turonensis in lib. de gloria Martyrum & Confessorum. Sanctus Gregorius Romanus lib. 3. dialog. cap. 22. Adde nullam esse in toto Christianismo ciuitatem, in qua non templum aliquod D. Virgini vel alij cuipiam Sanctorum sacrum, & in eodem votiuæ aliquot tabellæ inueniantur, quas in signum & testimonium miraculorum ac beneficiorum mediante SS. inuocatione sibi à Deo exhibitorum fideles inibi suspenderunt.

Adhæc si licitum non esset Sanctos inuocare, vt pro nobis apud Deum interueniant, nequaquam inuocatione eorum vteretur Ecclesia, quæ à Spiritu sancto ducitur: cum autem hæc iam à principio ea vsa sit, ac etiamnum vtatur, dubitari nullo modo potest, quin auxilium ipsorum inuocare permissum sit, præsertim cum ad maiorem eius confirmationē, idem illud concilia plurima definierint, vtpote Concilium Nicænum secundum, actione 66. Concilium Constantiense, & Tridentinū sess. 25. aliaque præterea concilia, in quibus condemnati fuêre hæretici illi qui inuocationem sanctorum negauerunt.

Sancti Patres tam Græci quā Latini omnes Sanctos inuocandos esse affirmant, vt intercessione sua apud Deum nobis sint adiumento, neque prædicatione solùm aut scriptis suis hanc veritatem SS. illi Patres reliquêre consignatam, sed reipsa etiam ac opere certissimam esse experti sunt, Sanctorum auxilijs nequaquam exigua beneficia consecuti, sicut Sanctus Leo serm. 1. de SS. Petro & Paulo attestatur his verbis: *Sicut & nos experti sumus, & nostri probauêre Maiores credimus atque confidimus inter omnes labores istius vitæ ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium Patronorum orationibus adiuuandos, vt quantum proprijs peccatis*

tis deprimimur, tantū Apostolicis meritis erigamur. Restat nūc vt loca aliqua S. Scripturæ, quæ huic nostræ sententiæ contrariari videntur, explicemus. Primò in Deuteron. cap. 12. hoc præceptum reperimus: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas.* quoniam ergò nullum à Deo habemus præceptum inuocādi sanctos, videtur omninò illicitum esse eosdem inuocare. Respondeo hic tantùm prohiberi ea quæ diuino cultui sunt cōtraria, cuiusmodi sunt falsi ac impij ritus Gentilium, quod perspicuum satis est ac manifestum: nam in lege scripta multa obseruabantur quæ ibidem minimè constituta fuerant, vti obseruatio votorum ac iuramentorum, nec non festorum aliquot dierum celebrationes in memoriam videlicet beneficiorum à Deo acceptorū institutæ, quēadmodum Iudicum 15. & Esther. 9. capite legimus. Præterea in lege noua plurima quoque obseruantur in honorem Dei, quæ tamen ab ipso mandata non sunt, veluti de cælibatu. D. Paulus inquit: *De Virginibus præceptum Domini non habeo*, & tamen non desinit ad cælibatum nos exhortari, vt cōmodiùs scilicet Deo seruiamus. Adhæc etiam multa in Ecclesia Christi obseruantur quæ non sunt scripta, sed tantum traditione ad nos peruenerunt, quemadmodum

etiam inter alia Sanctorum inuocatio: quæ etsi à Deo commendata non sit; tamen licita est, & ab Ecclesia semper vsurpata, necnon & à Sanctis Patribus approbata.

Alter nunc locus nobis explicandus est sancti Pauli nimirum ad Timotheum 2. vbi dicit? *Vnus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Ergo nulli alij sunt mediatores, quia dicit (*vnus*) Iam si alios constituamus mediatores, iniuria afficiemus Christum Dominum, quasi ille nō sit sufficiens. Ergo Sancti non sunt mediatores, veluti iam dictum est, quod etiam confirmatur per hoc quòd scriptum legimus ad Hebræos, Christū scilicet per semetipsum accedere ad DEVM ad interpellandum pro nobis. Si Christus igitur semper pro nobis intercedit, frustra reliquos sanctos inuocamus. S. Ioannes quoq; in priori sua Epistola cap. 2. de Christo dicit: *Aduocatum habemus apud Patrem.* Vnus ergo Christus sufficit, quod enim ille non præstat, multò minùs cæteri Sancti præstabunt. Ad primum respondeo, Sanctos quidem mediatores esse, verùm non eò modo quo Christus, nec eiusdem ordinis cum Christo, qui cùm Deus simul sit & homo, vniuersum genus humanum redemit, simulque mediator est omnium tam defunctorum quàm præsentium ac futurorum, qui dignitate meri-

meritorumque suorum inæstimabili valore efficaciter nobis omnem impetrat gratiam. Huius generis ac ordinis vnus solus est Mediator Christus, nec aliud dicere vult Apostolus loco citato, quando dicit (*vnus*) vt ex eodem capite colligitur. Sancti quoque mediatores quidem sunt, sed non eiusdem ordinis, serui enim tantummodo sunt Deo grati, qui diuina freti liberalitate ac misericordia pro nobis apud ipsum intercedentes aliquam impetrant gratiam. Quinimò (vt suprà dictum est) quidquid à Deo petimus, per Christum petimus, ac principaliter per merita eius, atque hoc ipso nulla fit Christo iniuria, sed in honorē potiꝰ ei cedit, quòd tāto seruos suos fauore prosequatur, vt in illorū gratiam nobis quę petimus dona impertiatur. Alij breuius dicunt redemptionis Mediatorem, de quo hoc loco citato loquitur Apostolus, vnicum tantùm esse Christum, Mediatores verò intercessionis, de quibus nos agimus, plurimos esse. Ad secundum respondeo non rectè sequi: Christus orat pro nobis. Ergo Sancti frustra pro nobis orant, quin potius contrarium inferendum erit, dicendo: Christus Magister ac Dominus orat pro nobis. Ergo etiam Sanctos decet pro nobis orare, vt Magistrum suum imitemur.

Deinde si iste concludendi modus bonus esset, sequeretur malè fecisse Sanctum Paulum pro alijs orando, aliosq; vt pro ipso orarent adhortando, quia Christus pro omnibus orat: imo sequeretur etiam nec pro nobis quidem ipsis nos rectè orare posse, Itaque si nec hîc, nec alibi prohibetur nobis orare pro alijs, ergo etiam licet inuocare Sanctos vt pro nobis intercedant. Eadem ratione ad tertium respondetur argumentum, nam Sanctus Ioannes dicit pro peccatorũ remissione obtinenda, recurrendũ esse ad Christũ, qui etsi Aduocatus noster sit in cælis, non tamen prohibet inuocare alios, vt & ipsi pro nobis intercedant. Hinc omnes Sancti, tam qui in Cælo sunt quàm qui in terra adhuc viuunt, licitè intercessiones suas cũ interpellationibus Christi cõiungere possunt, & tam pro se quàm pro alijs deprecari. Hîc dubium quoddam occurrit, an videlicet animę beatorum etiam orent pro animabus quæ in Purgatorio detinentur? Respondetur quòd sic, certumq; est eas frequenter pro illis intercedere, vti affirmat Sanctus Thomas in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. quæst. 3. Idem etiam docet Cardin. Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 15. & Suarez de Suffragijs disputat. 48. sect. 5. § 7. alijque complures, qui ab his citantur. Idem quoque confirmant rationes superiùs allatæ: nec

tæ: nec non & Sanctus Augustinus idipsum asserit lib. de cura mort. cap. 4. & lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 12. & 13. Et Sanctus Gregorius lib. 4. dialog. cap. 50. Idem denique Ecclesia approbat, quando in oratione pro defunctis precatur, vt ad beatitudinem perueniant, B. Maria semper virgine intercedente cum omnibus Sanctis. Demum cùm intercessio illa officium sit charitatis, quòd non modò statui beatorum non repugnet, sed etiam maximè conueniat, simulq; præsupponendum sit animas in Purgatorio eadem maximè indigere, absque dubio credendum est beatos omnes orare pro animabus, quæ in Purgatorio detinentur.

Hinc aliud dubium oritur, an scilicet preces animarum beatarum animas aliquas liberent à pœnis Purgatorij? Sunt qui partē teneant affirmatiuam, nempe animas Beatorum orationibus suis remissionem aliquam obtinere tormentorum, quibus animæ in Purgatorio afficiuntur. Verum hoc omnino subsistere nequit: cum enim (vt ait Soto. dist. 45. q. 2. art. 3.) frequentissimæ & efficacissimæ sint orationes Beatorum, exiguo tempore precibus suis totum euacuarent Purgatorium. Adhæc secundū ordinariam Dei legem pœnæ Purgatorij non nisi per satisfactionem remittuntur; at

Sancti in cælo non sunt in statu satisfaciendi, quemadmodum viatores adhuc in sæculo viuentes, neque orationes eorum satisfaciunt, veluti suffragia Ecclesiæ. Ita S. Thomas existimat dist. 4. quæst. 3. art. 3. ad 6.

Dicat hic quispiam; si Beatorum animæ à pœnis Purgatorij neminem liberare possunt, quorsum ergo eorum intercessiones, aut quibus in rebus animas in Purgatorio detentas iuuabunt? Respondeo, in sequentibus. Primò, rogare possunt Deum, vt satisfactiones, quæ pro animabus istis à viuentibus fiunt, acceptet. Secundò, impetrare possunt à Deo, vt viuentibus auxilium suppeditet, quatenus pro animabus in Purgatorio detentis talia suffragia ac preces fundant, quæ eisdem ad liberationem sint vtilia. Tertiò, precibus suis obtinere possunt à Deo, vt satisfactiones quarũ ipsi abundant, quæque in thesauro Ecclesiæ reseruantur animabus istis ad earundem liberationẽ applicentur. Quartò, Sanctus quispiam alium quemuis Sanctum rogare potest, vt suas quoque satisfactiones (si copia earum abundet) alicui applicet animarum quæ in Purgatorio detineatur. Quintò denium & vltimo, Beati pro animabus in purgatorio detentis apud Christum Dominũ intercedere possunt, vt animarum istarum de satisfactionibus suis aliquas in eiusdem libe-

liberationem applicare dignetur, quamuis hoc non approbet Suarez de suffragijs disp. 48. sect. 5. vbi dicit, Christum ne vicario quidem suo, secundum legem ordinariam sua merita applicare. Vnde verisimile est, Beatos nihil flagitaturos quod ordinariæ Legi aduersetur.

DE VENERATIONE ET HONORE, quem Sanctis debemus in Cælo commorantibus.

CAPVT XX.

SAnctos cum Christo in Cælo regnantes à nobis quoque in terris honorandos esse, contra falsam hæreticorum sententiam, adeò clarum est ac manifestum, vt qui id negare aut contrarium affirmare audeat, si non vera fide, at certè carere iudicio discurrendi de hac materia meritò censeri debeat. Propheta Regius Psal. 138. exclamans dicit: *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Isti amici Martyres sunt, qui vitam ac sanguinem suum pro Christo effuderũt. Apostoli sunt, ad quos Christus ipse Ioan. 15. inquit: *Nõ dicam vos seruos sed amicos,* Alij denique Sancti sunt, qui in hac vita pro Christi nomine contra semetipsos certauerunt, passiones proprias mortificando, quamobrem meritò à Deo in cælis coronati sunt.

Prætérea

Præterea apud S. *I*oannem cap. 12. dicitur, Patrem ęternum honorare eos, qui Christo filio suo seruierunt. *S*i ergo Deus Maiestatis Dominus seruos ac discipulos Christi honorat, recipiens s. eos summo cū gaudio & festiuitate maxima in Cælū; certè ratio ipsa dictitat eosdem etiam à nobis honorādos esse, eoq; magis, quòd honor qui exhibetur Sanctis ipsi etiā Deo attribuatur, sicut & cōtrà ignominia SS. illata ipsi quoq; Deo inuritur, vti Christus inquit apud S. Lucā, cap. 10. & ad Saulum persecutorem Christianorum, Acto. 9. *Quid me persequeris?* Atque ita Sanctos honorare, est venerari & glorificare Deum in Sanctis suis. Quare hęretici, qui venerationem Sanctorum impugnant, honorem etiam impugnant diuinum. Adhæc si in terra non tantùm seruos ac mancipia Principum, verumetiam canes eorundem quodammodo reueremur; cur non etiam Sanctos honorabimus charissimos Dei amicos & dilectissimos supremi illius Domini filios, qui hæredes sunt cæli, cohæredes autē Christi, &, vt D. Petrus 2. Pet. 1. ait, *diuinæ facti consortes naturæ?* Qui fortiter dimicando victorias insignes adepti sunt, ij non in vita solùm honorantur, sed statuis in memoriam victoriarum ac triumphorum erectis post mortem etiam condecorantur, & Sanctos Dei, domitores

carna-

carnalium ſuarum affectionum & deſide-
riorum, contemptores terrenarum vanita-
tum, victores denique diabolicæ fraudis
non reuerebimur? quæ victoriæ eò ſunt
glorioſiores, quò maioribus difficultati-
bus ſunt impeditæ. Ad extremum honores
& prǽmia virtutum debentur omnibus vir-
tute præditis. Igitur, ſi Sancti vixerunt iux-
ta normam virtutis, ac per earundem gra-
dus in Cælū aſcenderunt, cur non eoſdem
etiā à nobis honorādos eſſe arbitrabimur?

Sed videamus nunc quibus modis San-
cti honorentur, aut honorari à nobis licitè
poſſint. Ad hoc reſpōdeo, à Catholicis Sā-
ctos coli ſequentibus modis. Primò, ſi eos
inuocemus vt pro nobis intercedant apud
Deum, vt rogemus Deum, vt per ipſorum
merita, opera, ac virtutes concedat nobis
quod petimus: illud autem licere iam præ-
cedenti capite declaratum fuit. Atque hoc
modo Sancti à nobis coluntur, dum eos
meritis ſuis plurimum apud Deum valere
ac poſſe arbitramur. Et quamuis beneficia
iſta, quæ petimus, non à Sanctis, ſed à Deo
ſperemus; nihilominus tamen illis hono-
ri eſt, quòd mediantibus ipſorum interceſ-
ſionibus ea conſequamur.

Secundò, Sanctos veneramur ædifican-
do eis templa, & altaria in honorem me-
moriamq; illorum erigendo, non quidem
vt eis

vt eis sacrificemus, (sacrificium enim, cum cultus diuinus sit, soli Deo debetur) sed vt Catholicorum more Deo quidem primario dedicentur, cui omnis debetur laus & gloria; secundario verò Sanctis, nempe in ipsorum honorem & memoriā, vti dictum est, quo nimirum Christiani hęc templa ingressi Deum laudent, eique gratias agant pro beneficijs ac donis in Sanctos illos collatis; insuper orent eum, vt quatenus prædictos Sanctos aliquo honore prosequatur, ipsorum velit misereri gratiamque ad Sanctorum istorum virtutes imitandas concedere non dedignetur. Atque ita omnia hæc, vnà cum ipso honore, qui Sanctis tribuitur, ad Deum referuntur, tanquam ad Authorem & fontem omnis boni, omniumque donorum ac gratiarum. Quæ doctrina desumpta est ex S. Augustino lib. 8. de ciuit. Dei cap. 27. Tertiò, Sanctos honoramus in Missis, quæ in memoriam ipsorum celebrantur, non tamen vt Missæ sacrificium Sanctis offeratur, sicuti notat Sanctus Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. nullus enim Sacerdotum dicit: Hoc Missæ sacrificium tibi offero S. Petre aut S. Paule; sed soli Deo, qui Sanctos coronauit. Vnde in Canone dicitur: *Quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Sancti tamen in Missa honorantur, quia vt serui Deo grati inuocantur

uocantur, vt pro nobis intercedant, Deumque vt hæc vel illa beneficia, aut hanc vel illam nobis gratiam largiatur permoueant. Sic ſacrum docet Concilium Triden. ſeſs.22.cap.3.

Quartò, veneramur Sanctos cùm feſtiuitates eorum obſeruamus ac celebramus, in quibus res geſtæ eorundem laudantur & prædicantur, gratiæque redduntur Deo, qui Sanctos ſuos magnificauit. atque hinc fit, vt omnis honor iſte in maiorem Dei laudē & gloriam redundet.

Quintò, reueremur Sanctos, imagines ipſorum depingendo, quas Catholicis venerari, caput detegendo, flectendo genua, ſimileſque honoris ac reuerentiæ actus exhibendo, permiſſum eſt. S. Auguſtinus lib. 10. de ciuit. Dei cap. 4. dicit eiuſmodi actus reuerentiæ etiam viuentibus fieri conſueuiſſe propter aliquam ipſorum excellentiā aut dignitatem, ideoque iuſtiori de cauſa poſſe exhiberi Sanctis, quorum dignitas & excellentia omnem terrenam gloriam & honorem infinitis modis excedit. Et ſicut honor, qui imagini alicuius Sancti exhibetur ad ipſum Sanctum refertur; ita etiam omnis honor qui ſanctis exhibetur, Dei eſt, & ad Deum Creatorem eorum refertur, ad cuius imaginem ab ipſo ſunt creati.

Sextò, honoramus Sanctos promiſſionibus

nibus ac votis à Catholicis fieri consuetis, ita tamen vt eo ipso actu, quo per promissa ac vota alicui Sancto obligamur, Sanctum illum non instar Dei veneremur, aut diuinitatis aliquid ei inesse putemus; sed vt ipsi Deo obligemur per affectionem & deuotionem, qua certum aliquem Sanctum prosequimur, cuius intercessionibus ac patrocinijs multū iuuari nos posse confidamus, aut vt immediatè isti Sancto obligemur, tanquam creaturæ Deo gratæ & acceptæ, quo quidem facto putemus ac speremus rē longè gratissimam nos præstituros Deo.

Dicet hic quispiam, si verum est posse & licere à nobis Sanctos honorari, qua ratione verum erit illud sancti Pauli 1. ad Timotheum 1. *Soli Deo honor & gloria.* Respōdeo: si ex hoc quod Apostolus dicit (*soli*) sequatur sanctos non esse venerandos, sequitur etiam neminem preterquam solum Deum debere honorari; quod si ita sit, quomodo idem Paulus ad Roman. cap. 2. dicit: *Gloria & honor & pax omni operanti bonum?* Deinde, quomodo Deus ipse in Deuteronomio cap. 26. parentes & superiores iubet honorari? Quare videmus alium honorem deberi Deo, alium Sanctis, alium verò Parentibus & Principibus. Deo tanquam Creatori summus debetur honor, ad quem referuntur quotquot alijs exhibentur

tur honores: Sanctis, ceu creaturis excellentibus præditis virtutibus, & charissimis Dei amicis, honor debetur primo illo inferior; Principibus denique ac superioribus honorem debemus quasi potestatem à Deo habentibus eiusque vicarijs & locum tenẽtibus, iuxta doctrinã S. Pauli ad Roman. 13.

Septimò ac postremò, veneramur Sanctos per adorationem illis congruentem. Pro cuius rei declaratione notandum & obseruandum est, tres esse species adorationis, vti docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 103. art. 3. quia tria sunt genera excellentiæ, quibus debetur adoratio. Primi generis est excellentia diuina, quæ immensa est, cui suprema debetur adoratio à Theologis Latria nuncupata. Secundi generis est excellentia humana, quæ nascitur ex virtutibus, gradibus, & dignitatibus huius vitæ, cui etiam humana debetur reuerentia, quæ & adoratio seu cultus ciuilis appellatur. Et huius quidem plurimi sunt gradus, alia enim reuerentia Patri debetur, alia Principi, alia itẽ Præceptori, de qua Aristoteles in Ethicis tractat. Tertia denique excellentia media est inter diuinam & humanam, veluti excellentia Sanctorum, quæ nascitur ex gratia illorum & gloria, & huic tertia adorationis species debetur à Theologis Dulia nũcupata. Quia autem inter omnes creaturas excel-

excellentissima est humanitas Christi, deinde verò Sanctissima eius Mater, quæ non immeritò Domina & Regina nostra dicitur, quod de alijs sanctis nullatenus potest affirmari; idcirco Theologi omnes Humanitati Christi ac D. Virgini aliam attribuũt adorationem maiorem scilicet Dulia, minorem verò Latria quam vocant Hyperduliam.

Secundò notandum, has adorationis species melius interioribus actibus quàm exterioribus distngui. Prima enim species, quæ Latria dicitur, summa inclinatio & submissio est voluntatis, quæ fit *Deo* tanquam primo principio & vltimo fini nostro, neque vlli alteri exhibetur aut exhiberi potest præterquam soli Deo. Secunda adorationis species est voluntatis quædam inclinatio, at prima illa longè inferior, quæ creaturis fit, eò quòd in illis excellentiam aliquam humanam deprehendamus. Tertia demum species est inclinatio voluntatis creaturæ exhibita quòd in ea excellentiam aliquam maiorem humana, diuina verò excellentia minorem deprehendamus, & hac adorationis specie Sancti honorandi sunt. Actus autem exteriores, quales sunt genu flexio, capitis inclinatio siue denudatio, pectoris percussio, alijq; similes õnibus hisce tribus adorationis speciebus cõ-

munes

munes sunt excepto sacrificio, quod soli Deo debetur, quemadmodum docet S Augustinus lib. 10. de ciuit. Dei cap. 4. & ipsa etiam *S.* Scriptura idem attestatur in Exod. cap. 22. dicens. *Qui immolat Dijs, occidetur præterquam Domino soli.* Vnde facilè colligitur qualis adoratio *Sanctis* debeatur.

DE INFERNO SIVE RECEPTAculo animarum damnatarum, in qua scilicet parte Mundi sit.

CAPVT XXI.

Communis *SS.* Patrum Theologorum & Catholicorum omnium sententia est Infernum esse in visceribus terræ, quã opinionem *Sanctus* Hieronymus in Epist. ad Ephes. 4. probat *S.* Scripturæ testimonijs, veluti Num. cap. 16. vbi de Dathan & Abiron dicitur, quòd descenderint in Infernũ: *Confestim*, ait Scriptura, *vt cessauit Moyses loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, descenderuntq; viui in Infernum operti humo.* Dicit præterea ex illa voragine ingẽtem flammã exiuisse, quæ ducẽtos quinquaginta viros impios absumpsit, iuxta illud Psalmistæ: Psal. 54. *Veniat mors super illos, & descendãt in Infernum viuentes,* verbum illud,

descen-

descendere, quo tot in locis vtitur S. Scriptura, quando scilicet de Inferno loquitur, clarè demonstrat Infernum esse in inferioribus partibus terræ. Idem etiam colligitur ex Sancto Luca cap. 8. quando nimirum Dæmones rogabant Christum, ne mitteret illos in abyssum, per quam nihil aliud intelligi potest, quàm ingens aliqua vorago subterranea: Et Isaias de descensu Christi ad Inferos loquens, ca. 14. ait: *Infernus subtus conturbatus est in occursum aduentus tui.* Et Ecclesiasticus Cap. 24. in persona Christi inquit: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Idem illud confirmat Concilium Florentinum in decreto de Vnione, quando dicit omnes animas hinc cum peccato mortali ac solo originali exeuntes descendere ad Infernum.

Confirmatur etiam hæc opinio Sanctorum *Patrū* testimonijs. Cyrillus Alexand. in orat. de exitu animæ, Infernum describens, dicit locum terræ esse opacum, tenebrosum. & fuliginosum, in cuius parte infima carcer est animarum damnatarum. Tertullianus cap. 45. Apologiæ suæ Infernum vocat *arcani ignis subterraneum thesaurum.* S. Augustinus lib. 2. Retract. cap. 24. retractando quod dixerat in cap. 32. Geneseos ad literam: *De inferis* (inquit)*magis videor*

videor docere debuisse quòd sub terris sint.

Ratio quoque ipsa idem videtur asserere: quemadmodum enim animæ Beatorum in suprema sunt parte Mundi; ita & animæ damnatorum, quæ vitam vixerunt hisce contrariam, in infimo loco detinentur à cælo quàm longissimè remoto, atque hîc alius esse non potest quam centrum terræ.

Denique plurima signa sunt quæ Infernum in terræ visceribus esse astruunt, vti probat Sanctus Gregorius lib.4. dialog. cap. 33. & 42. Signa autem hæc sunt variæ terræ scissuræ, ex quibus perpetuus fumus, odor sulphureus, & nonnunquam ingentes etiã flammæ egrediuntur, cuius rei difficulter alia assignari causa potest quàm Infernus. Adhæc dicit sanctus Gregorius cap. 30. ex certissima sese relatione intellexisse eadem illa hora, qua Rex Theodoricus hæreticus Arrianus è viuis excessit, animam eius in fossam Vulcani, vulgò os Inferni nuncupatam, coniectam fuisse, Laurentius Surius in historia anni 1537. scribit in Insula Islandia circa montem Heclam, qui ingentes flammas exhalat, horribiles sonitus audiri, ac subinde etiam animas apparere, quæ se ad montem istum relegatas esse denunciant.

DE STATV ANIMARVM DAMnatarum in Inferno

CAPVT XXII

CIrca hanc materiam multa sunt quæ cognoscere desideramus. *Primò*, quomodo nouerint animæ se condemnatas esse ad Infernum. Respondeo idipsum eas scire ex sententia à Christo in particulari iudicio prolata simulatque de corporibus exierunt, vti superiùs declaratum est capite nono.

Secundò quæritur, quis eas ad Infernum deducat ac comitetur? Ad hoc respondet Sanctus Cyrillus Alexand. in oratione de exitu animæ, vbi loquens de anima peccatoris inquit: *Tunc à Sanctis Angelis destitutã animam inuadunt æthiopes illi Dæmones eamque ferientes crudeliter in terram opacam deducunt.*

Tertiò quæritur, an animæ, simulatque in iudicio particulari condemnatæ sunt, ad Infernum secedant, ibique torqueantur; an verò è contra diem iudicij vniuersalis expectent, vt simul cum corporibus puniantur, cum quibus & ipsæ peccauerunt? Aliqui ex antiquis Doctoribus, sicut suprà dictum est, prædictas animas non ita subitò infernalibus pœnis excruciari crediderunt, sed eas iudi-

iudicium expectare dum corpus resumpserint. Verùm opinio ista falsa est, minimeque Scripturæ diuinæ consentanea, nam de impijs dicit Sanctus Iob: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Ergo non expectant diem iudicij extremi. Et diuitem Epulonem Sanctus Lucas cap. 16. ait ad infernum descendisse, ibique gehennæ ignibus afflictum exclamasse: *Crucior in hac flamma.* Ergo animæ priusquam corpora resumant Inferni ignibus cruciantur. Præterea S. Gregorius lib. 4. dialog. & Beda lib. 5. Hist. multas animas fuisse cõmemorant, quæ pœnas in Inferno sibi inflictas viuentibus demonstrauerint.

Quartò quęritur, an animæ damnatorum aliquando de Inferno egrediantur? De hac quæstione suprà egimus ca. 10. vbi in genere de animabus in altera vita existentibus locuti sumus. Et iam quidem, quod ad animas damnatorum attinet, in particulari, dico singulari Dei dispensatione animas dãnatorum ad tempus de Inferno exire posse, fine scilicet alicuius boni quod Deus prætẽdit, v.g. ad vtilitatem & instructionẽ viuẽtium, ita tamen vt per illud tẽpus non desinant esse damnatæ, easdem enim sustinent, pœnas quas patiũtur in Inferno, quę doctrina est S. Thomę par. 3. q. 69. quẽadmodũ etiã Dæmones, quantũuis extra Infernũ sint,
 ijsdem

ijsdem tamen ignibus cruciantur. *Postmodum* tamen prædictæ animæ ad inferos reuertuntur.

Contra iam dicta facere videtur famosa illa de Traiano Imperatore historia, quam Damascenus cõmemorat in serm. de mortuis, dicens eundem per preces seu intercessionem Sancti Gregorij ex Inferno liberatum fuisse simulque saluatum, quod (inquit ille) *Oriens totus atque Occidens testantur*. Accidit autem hoc modo: *Sanctus* Gregorius obambulans per plateam & forum Traiani instantissimè *Patrem* misericordiarum deprecatus est, quatenus Traiano peccata sua condonare dignaretur, & subitò vox de Cælo intonuit dicens: preces tuas exaudiui, & Traiano peccata sua remitto; tu verò imposterum caue, ne pro similibus personis intercesseris. In eodem sermone narrat Sanctus *Damascenus* Falconillam fœminam ethnicam precibus *S.* Teclæ ex Inferno liberatam fuisse. Richardus in 4. dist. 45. art. 2. quæst. 1. dicit Traianum precibus *Sancti* Gregorij resuscitatum fuisse, ac postmodum digna peracta pœnitentia saluatum. Verùm hoc dici non potest, quippe cùm in hoc sermone dicatur Traianum de inferno migrasse ad Cælum: nam si à mortuis resuscitatus fuisset ac baptizatus, iam vtique illius mentio fieret in hoc ser-

mone

mone. Durandus in eundem locum quæst. 2. ad 3. dicit Traianum singulari Dei priuilegio ex Inferno ad Cælum transcendere potuisse hoc modo: Deus præuidens Sanctum Gregorium pro salute Traiani oraturum, non eum perpetuò condemnauit ad Infernum, sed tantum ad id vsque tempus, quo Gregorius pro illo esset oraturus, quod supradictis minimè contrariatur, quanquam nonnulli dubitent de hoc sermone Damasceni, nec sine causa: Ioannes enim Diaconus in vita Sancti Gregorij lib. 2. cap. 44. dicit sermonem istum in certo quodam Angliæ templo fuisse inuentum. Deinde multum etiam de veritate historiæ dubitatur: nam etsi Alphonsus à Castro in Apologia sua seriò eam defendat; nihilominus tamē Melchior Canus lib. 11. suorum locorū c. 2. eam falsam esse & effictam arbitratur. Soto in 4. dist. 45. ait rem esse difficilem creditu. Cardinal. Bellarmius libr. 2. de Purgatorio, cap. 8. multis & efficacibus eam rationibus refutat. Vt vt sit, falsa sit, licet ac incerta illa de Traiano & Falconilla historia, aut non sit Damasceni; attamen multæ aliæ certissimæ extant historiæ eorum, qui tam è Cælo quàm ex Inferno in hanc vitam fuêre resuscitati. Sanctus Gregorius libro primo dialogorum capite nono scribit Sanctam quen-

dam Marcellum nomine à Sancto Fortunato Episcopo fuisse resuscitatum. Sulpitius item de S. Martino in eiusdem vita scribit ipsum quendam resuscitasse, qui laqueo sibi vitam ademerat. Item filius præfecti, qui S. Agnetem violare conabatur, ab eadem vitæ restitutus fuit, quemadmodum refert S. Maximus in serm. 2. de S. Agnete, & S. Ambrosius serm. 90. Itaque sic concludo: si qui ex Inferno liberati fuerint, eos non perpetuò, neque per vltimam sententiam ad Infernum fuisse condemnatos, sed duntaxat ad tempus.

Pro confirmatione omnium supradictorum referam hîc quod in *Promptuario* Discipuli scriptum reperitur, Exemplo 73. Erant in Monasterio quodam duæ Moniales, quæ à reliquis omnibus deuotæ ac sanctæ vitæ habebantur, harum vna defuncta, altera amica eius frequenter post Matutinas in templo remanabat ac Deum pro amica defuncta dèprecabatur. tandem nocte quadam Monialem illam mortuam lamentabili voce Responsorium sequens dicentem audiuit: *Peccantem me quotidie, & nõ me pœnitentem, timor mortis conturbat me, quia in Inferno nulla est redemptio*, & nõ plus dicebat de Responsorio. Illa viuẽs interrogauit: Nonne es tu talis soror? respondit illa, sum. Et illa, quare non comples cantando

tando responsorium totum? Dixit mortua, si Beata Virgo Maria omnesque Sancti rogarent pro me, nunquam posset plus verificari de me *miserere mei Deus & salua me*, quod est finis Responsorij, quia ego sum damnata. Heu quomodo est hoc dicit viua, cùm eras ita bona religiosa? Respondit. Ego dum essem in seculo feci vnum peccatum verecundum, quod propter verecundiam nunquam confessa sum, & ideò alia bona nihil mihi valuerunt ad vitam æternam; ergo ammodo non ores pro me, quia vanum est.

Hîc dubium aliquod occurrit, an nimirum damnati etiam peccent in Inferno? Respondeo eos peccare, quanquam propter ista peccata nouis pœnis non afficiantur, non enim in statu sunt demerendi. Quando igitur Sancti Patres dicunt in altera vita nulla committi posse peccata, sciendum est; eos de iustis loqui, aut ea intelligere peccata, quæ pœnam aliquam particularem promeriantur.

DE POENA QVAM DAMNATI in Inferno patiuntur.

CAPVT XXIII.

INfernalis pœna duplex eſt, vna pœna damni, altera pœna ſenſus à Theologis nuncupatur. Pœna damni conſiſtit in hoc, quod anima beatitudine id eſt, beatifica Dei viſione priuata ſit. Pœna ſenſus ſunt afflictiones & tormenta, quæ anima concipit ex igni infernali. Vtraque pœna per illa verba Christi ſignificatur: *Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis.* Et hæc eſt pœna damni: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Et hæc eſt pœna ſenſus. Animæ igitur damnatæ vtramque pœnam ſuſtinent, & vtraque æterna eſt, veluti S. dicit Scriptura: Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Et in libro Iudith inquit: cap. 16. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & ſentiant vſque in ſempiternum.* Et Iſaiæ vltimo: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

Vtramque hanc pœnam iuſta ratione in Animas damnatorum à Deo conſtitutam Theologi hoc modo probant: Peccatum mortale duas in ſe continet deformitates, quarum vna eſt auerſio à Deo, qui finis noſter vltimus eſt ac ſupremus, & huic re-

ſpondet

spondet pœna damni, quæ, vti suprà dictum, priuatio est beatitudinis. Altera deformitas est inordinata ad creaturas conuersio, & pro hac pœna sensus luenda est. Verùm hoc non ita intelligendum, quasi prima illa deformitas sola pœna damni puniatur, secunda verò castigetur pœna sensus, tam enim prima quàm secunda deformitas vtraque hac pœna punitur, quippe cum auersio à Deo & inordinata ad creaturas conuersio, quoad culpæ grauitatem, pares sint & æquales: vnde ex vtraque illa pœna vna iusta & integra cõstituitur. Quãdo ergo Theologi dicũt pœnã damni respõdere auersioni à Deo, subintelligendum est principaliter, quippe cum & eadem illa pœna pro peccato inordinatæ conuersionis ad creaturam luenda sit. Pari ratione pœna sensus principaliter respondet inordinatæ conuersioni ad creaturam.

Hîc obseruandum est, distinctionem harum duarum deformitatum manifestiùs elucere in peccatis commissionis, qualia sunt, furtum, fornicatio, & similia, quàm in peccatis omissionis, veluti si quis fraternam correctionem omittat. *Præ*terea sciendum est pœnam damni omnibus damnatis esse æqualem, pœnam verò sensus quoad intensionem esse inæqualem, vna enim anima maioribus pœnis afficie-

tur quàm altera; quoad durationem verò æquales sunt, quia nunquam finientur.

Sed præter pœnas iam dictas alia sunt quæ damnatorum animas non mediocriter affligunt. Ac primò quidem, sicut Dei præsentia summam beatis affert voluptatē; ita eiusdem absentia pœnam maximam infligit intellectui animæ damnatæ, quemadmodum suprà diximus. Adhæc intellectus animæ damnatæ Deum concipit tanquam authorem tormentorū quæ sustinet, atque hinc voluntas eundem mortali odio prosequitur, & quia nec Deus nec pœnæ tolli possunt, hinc voluntas odio isto incredibili quodā modo torquetur ac cruciatur. Memoria quoq; eorum affligitur dum cogitant voluptates, quas in hac vita habuerint, iam omnes præterijsse, tormenta autem nullum in æternum habitura finem. Item quotiescunque recordantur infinitorū bonorum quæ sua culpa perdiderunt, vltrò in tantas miserias sese præcipitantes, inexplicabili memoria ipsorum affligitur cruciatu

Hîc multa dubia occurrunt. Primò, vtrū grauior sit pœna sensus, an damni? Respōdeo pœnam damni esse grauiorem, cui sententiæ Sanctus etiam Chrysostomus astipulatur hom. 23. in Matth. dicens: *Ego autem casum illum á gloria, Gehenna multò maiorem*

esse aio

esse aio. Et paulò post dicit, decem millia Gehennarum (quæ pœna sensus est) nihil esse respectu priuationis æternæ vitæ, quæ pœna est damni.

Secundò, durum nimis videtur propter vnum duntaxat mortale peccatum, quod tantillum solùm temporis duret, animam æternas luere pœnas. Ad hoc respondet S. Thomas in 1. 2. quæst 87. art. 3. probatque iusta ratione à diuina voluntate contra peccatum mortale æternam constitutam esse damnationem. Ipsius argumẽtum est, quia peccans mortaliter separat se ab vltimo fine, & quantum quidem in ipso est, in æternum in peccato esset perseueraturus. Ergo meritò illi debetur pœna æterna. Quòd verò pœna diutiùs duret quàm peccatum durauerit, nihil refert, quia (vt benè notauit Sanctus Augustinus lib. 21. de ciuitate Dei, cap. 11.) in quouis etiam iudicio humano pœna diutiùs durat quàm durauerit delictum. Hæc doctrina aduersatur opinioni Origenis & aliorum, qui pœnas animarum damnatarum non perpetuò duraturas existimauerunt, Quam sententiam ceu falsam atque erroneam. Sanctus Augustinus oppugnat loco citato capite vigesimo quarto.

Tertium dubiũ est, vnumquodlibet peccatum mortale, quandoquidem offendit

Deum bonum ſcilicet infinitum, malitiam in ſe continet infinitã: ergo propter quodlibet mortale peccatum animæ infinita etiam debetur pœna ſenſus, etiam quoad intentionem. Reſpondeo pœnam ſenſus principaliter non intendi aut remitti ſecũdùm cõditionem culpæ, ſed ſecundum voluntatem Dei, qui pro arbitrio ſuo pœnam vel auget vel (ſi vult) relaxat. Præterea, infinita illa malitia, quam in ſe cõtinet mortale peccatum, punitur pœna damni, quæ eſt priuatio boni infiniti, ſimulque pœna ſenſus, quæ durabit in infinitum, alioquin enim creatura capax non eſſet infinitæ pœnæ ſenſus quoad intentionem.

Quartum dubium eſt: Multæ animæ pręter peccatum mortale finale, propter quod ad Infernum condemnantur, etiam venialibus nonnullis peccatis oneratæ ſunt, quęritur ergo nunc, quam pœnam pro peccatis iſtis venialibus paſſuræ ſint? Scotus in 4. ſent. diſt. 2. exiſtimat damnatos propter venialia non æterna, ſed temporali ſolùm pœna affligendos. Hac autem vtitur ratione, quia videlicet commune eſt axioma Theologorum, Deum punire, *citra condignũ*, id eſt minori pœna quàm homo meretur. Si verò propter peccata venialia æterna pœna animas affligeret, iam non *citra*, ſed *vltra condignum*, puniret, id eſt grauiùs

uiùs quàm merentur. S. Thomas in 1.2. qu. 87. art. 5. ad 3. contrarium affirmat, pœnam nimirum pro peccatis istis venialibus æternam esse, sed per accidens Ratio illius est, quia culpa venialis animæ damnatæ durat perpetuò, cùm in Inferno nulla sit culpæ remissio, omnis enim culpæ remissio beneuolentiam Dei requirit, eiusmodi autem beneuolentiam animæ damnatorũ, quia inimici Dei sunt, omnino habere nequeunt. Caietanus defendit hanc D. Thomæ doctrinam, quæ probabilior esse videtur, quanquam illa Scoti lenior nonnihil sit ac mitior.

Quintum dubium est: Fieri potest, vt quispiam multas lucretur Indulgentias multaque faciat opera satisfactoria ad iuuandam animam, quam in Purgatorio detineri existimat, quæ tamen ad Infernum condemnata sit, quæritur nunc an eiusmodi suffragijs anima aliquo modo iuuetur? Respondeo, quo ad liberationem à pœnis, nihil omnino adiuuari, eò quòd (sicut iam aliquoties dictum) in Inferno nulla sit redemptio. Hinc Sanctus. Augustinus in Enchiridio suo cap. 110. inquit suffragia improbissimis hominibus, quales sunt damnati ad Infernum, nullum afferre auxilium, sed viuis tantùm aliquam afferre consolationem, Nihilominus tamen Gre-

gorius de Valentia de Purgatorio ſub finē, inquit non eſſe abſurdum credere per Dei miſericordiam eam animā, pro qua ſuffragia iſta fiunt, puniri *citra condignum*, id eſt minùs quàm puniri poſſet, itemque per interualla remiſſiùs nonnihil cruciari. Huic conſentire videtur S. Auguſtinus in Enchiridio ſuo cap. 112. quando dicit: *Pœnas damnatorum certis temporum interuallis existimēt ſi hoc eis placet, aliquatenus mitigari.* At Cardin. Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 18. abſolutè dicit ſuffragia nihil prodeſſe damnatis, quæ ſententia etiam videtur eſſe tenenda: non enim video quomodo anima aliqua remiſſiùs puniri poſſit abſque diminutione pœnarum. quam ſentētiam etiam tenere videtur S. Thomas, vt iam dicetur. Hanc opinionem ſequentes quoque rationes confirmant. Primò, ſi ſuffragia pœnam damnatorum aliquo modo mitigarēt, iam multiplicatis ſuffragijs tandem vniuerſa pœna tolleretur: atqui hoc falſiſſimum eſt, nec ſubſiſtit, in Inferno enim nulla eſt redemptio. Neque dici poteſt pœnam damnatorum propter ſuffragia per temporis aliquod interuallum ceſſare, nam eo modo pœna non eſſet futura æterna, cùm quod æternúm eſt nunquam interrumpatur. Præterea ſi per ſuffragia damnatorum animæ aliquod refrigerium conſequeren-

querentur, iam Ecclesia pro illis oraret, quod non modò non facit, sed omnino etiam fieri prohibet ac interdicit, vt videre est in Concil. Bracarensi 1. cap. 34. in Concil. Triburiensi cap. 31. atque in pluribus alijs quæ citantur à Suarez de Purgat. disp. 48. sect. 4. conclus. 2. Ratio verò, ob quam suffragia pro damnatis offerenda esse negant, hæc est, quòd scilicet illi non sint in statu misericordiæ. Quare diues ille Epulo Luc. 16. ne minimam quidem aquæ guttulam impetrare potuit ad refrigerandã linguam suam.

Porrò quod de S. Machario refert S. Damasc. in serm. pro defunctis, dicens eum ex capite Ethnici cuiusdã mortui quæsiuisse, an damnati per preces ac suffragia mitigationẽ aliquã consequerentur, illudq; respõdisse quòd sic, multi fabulã esse putant, sermonemq; istum suspectũ habent, quasi desumptus sit ex libro Palladij ad Lausum, in quo talis historia nõ reperitur. Quanquam Sanctus Thomas in Sup. quæst. 71. art. 5. ad 4. respondet mitigationem illam non esse pœnæ diminutionem, sed vanum aliquod solatium, hinc natum quòd tot sese socios in pœnis habere considerent.

Sextũ dubiũ est, an animæ damnatæ malint omnino nõ esse, quàm esse in eiusmodi pœnis perpetuò duraturis? Respondeo

malle

malle eas omnino non esse, cui sententiæ etiam S. Script. astipulari videtur, quando dicit Apoc. 9. *Desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Et in Osea. cap. 10. *Dicent montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos.* Et fortassè desiderant omnino non esse, non tã vt tormenta ista non patiantur, quàm ne Deus aduersus eos iustitia sua vtatur, propter ingens odium quo Deum prosequuntur.

Septimò quæritur an animæ damnatorum boni quippiam in hac vita degentibus præstare possint? cuius dubij difficultas ex eo nascitur, quod scilicet S. Lucas narrat de diuite Epulone, qui Abraham rogabat, vt Lazarum mitteret ad fratres suos, ne & ipsi venirent in locum istum tormentorum. Ad hoc dubium respondeo, damnatos nõ orare, nec orare posse, quia charitatem non habent, nec pium illud desiderium faciendi quæ Deo grata sunt, sine his autem nequit esse vera oratio. Quare petitio diuitis illius Epulonis non fuit actus orationis aut charitatis erga fratres, sed actus erat amoris proprij, ne videlicet ille magis torqueretur ratione mali exempli fratribus suis exhibiti. Altera ratio est, quia quò plures ad Infernum descendunt, eò ampliùs damnatorum pœna accidentalis accrescit, quemadmodum in Beatis quantò maior est nume-

rus, tantò maius eſt gaudium accidentale: nam ſyncera illa charitas, quæ inter ipſos eſt, efficit, vt vnuſquiſque eorum ex bonis aliorum capiat voluptatem. Vnde diues Epulo, ne pœna eius accidentalis per fratrũ ſuorum aduentum in Infernum accreſceret procurare nitebatur vt eò non venirent.

Dicet aliquis, vnde fit vt quò plures ad Infernum deſcendunt, eò amplius crucientur damnati, cùm de hoc gaudere potius eos veriſimile ſit, iuxta illud Gloſſæ ſuper Iſaiam cap. 14. *Solatium eſt miſeris ſocios habere malorum?* Reſpondeo, primò, non naſci id ex commiſeratione, ſi vna anima dãnata ex alterius malis ac tormentis dolorẽ concipiat, commiſeratio enim naſcitur ex Charitate: at cùm in Inferno nulla ſit charitas, fieri non poteſt, vt ibidem vlla ſit cõmiſeratio. Dico ſecundo id prouenire ex natura rei, quod ita volo intelligi: Quemadmodum naturaliter voluptate ſeu delectatione afficimur ſi rem quampiam pulchram ac bene ordinatam videamus, ita etiam ſi abyſſum contemplemur miſeriarum ac confuſionum, quales ſunt in Inferno, ea ſummopere diſplicet, faſtidiumque generat & dolorem. Hinc fit, vt quantò plures ad Infernum deſcendunt, tantò maior confuſio fiat, & per conſequẽs maiori moleſtia afficiantur animæ damnatorum, quã-

uis ob peruersam voluntatem suam omnes etiam reliquos damnari optarent. Ad Glossæ sententiam, quæ iam in prouerbium abijt, dico eam non semper esse veram, v.g. infirmus quispiam sit in aliqua domo, si solus ille infirmetur, minus sentit molestiæ quàm si plures alios secum infirmos haberet. Deinde prouerbium istud aliquando verum est in hac vita, in qua cùm non sit extrema miseria, nemo adeò infelix est, quin aliquam quandoque sentiat voluptatem: animæ verò damnatæ nullius omnino gaudij capaces sunt, quia totæ tormentis immersæ.

DE IGNE INFERNALI.

CAPVT XXIV.

DE Igne infernali tria nobis occurrunt dicenda. Primò, an ignis iste verus sit ignis, an verò per Metaphoram & similitudinem dicatur ignis, quemadmodum Christus Leo, Petra, Agnus &c. nuncupatur. Respondeo ignem infernalem verum esse ignem materialem & corporeũ: *Scriptura* enim sacra plus quã mille locis ignẽ illũ ignẽ inextinguibilẽ & ardentẽ appellat. Et vt sciamus quando metaphoricè *S. Scriptura* loquatur, Theologi hanc constituunt regulam: Quotiescunque simplicem & verba-

verbalem alicuius rei explicationem absurdum aliquod consequitur pugnans cum fide nostra ac ratione, tum ea res metaphoricè explicanda est, exempli gratia, apud Sanctum Ioannem cap. 15. legimus: *Ego sum vitis, vos palmites.* Hîc manifestum est Christum natura sua non esse vitem, sed ita duntaxat per similitudinem appellari: hinc enim plurima sequerentur absurda cõtra fidem. Iam si S. Scripturam, quando inquit: Matth. 25. *Ite in ignem æternum*. Et Luc. 16. *Crucior in hac flamma.* dicamus per ignem & flammam verum ignem ac verã flammam intelligere, nihil hinc sequetur absurdi contra rationem vel fidem. Ergo loca illa simpliciter, & prout verba sonant, intelligenda. Confirmatur etiam illud multis scissuris terræ, quæ quasi ora sunt inferni, quemadmodum Aetna in Sicilia, Puteoli in Italia, aliæque præterea multæ cauernæ, quæ ignem exhalant fœtidissimum, materialem, & corporeum. Idem quoque SS. Patres affirmant, vti S. Augustinus lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 10. Gregorius lib. 4. Moral. capite vigesimo nono & complures alij.

Secundò quæritur, an animæ damnatorum verè hoc igni torqueantur? Respondeo, quanquam explicatu difficilè sit quomodo flãma ista animas adurat & cruciet, quæ spi-

quæ ſpiritus ſunt: nihilominus tamen certum eſt indubitatum, tam Diabolos quàm animas damnatorum verè & realiter igne iſto affligi. Hoc S. Scriptura dicit, iſte eſt totius Eccleſiæ communis ſenſus, ita credunt Sancti Patres, denique ſic etiam nobis credum eſt. Et ne authores multos citare opus ſit, duos tantūmodo adduxiſſe ſuffecerit, ac primò quidem Sanctus Augiſtinus lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 10. inquit: *Spiritus damnatorum licet miris, veris tamen modis cruciātur ab illo igne.* Deinde Sanctus Gregorius lib. 4. dialog. cap. 29. Idem illud confirmat, ibidemque locum illum de diuite Epulone allegat: *Crucior in hac flamma.*

Tertiò & vltimò, dicendum nonnihil eſt de modo, quo animæ damnatorum ab igne iſto infernali cruciantur. Atque hîc difficultas naſcitur. Cùm enim ignis ille materialis ſit ac corporeus (ſicut iam dictum eſt) non poteſt exercere actionem ſuam aliter quàm calefaciendo & vrendo: quicquid autem incaleſcere debet aut vri, quantitatem habet & materiam, & corpus eſt. Cùm igitur anima ſpiritualis ſit omnis materiæ expers, indiuiſibilis, & incorporea, videtur non eſſe capax actionis quam exercet ignis corporeus: nam neque ab igne iſto vel calorem vel aliam quamuis alteratiuam qualitatem in ſe recipere poteſt.

test. Quomodo ergo anima ab isto igni cruciari potest, si non recipit ab eo qualitatem sibi contrariam? Durandus in 4. sentent. dist. 44. quæst vlt. negat in hac vita sciri posse qualiter anima spiritualis ab igni corporali cruciari queat. Eiusdem quoque sententiæ est Cardin. Bellarminus in lib. de Purgatorio cap. 12. Et hoc illud est quod S. Augustinus videtur velle dicere loco citato, quando inquit: *Spiritus damnatorum licet miris, veris tamen modis cruciantur ab illo igne.* S. Gregorius quoque loco allegato ait: *Ex igne visibili inuisibilem pœnam animæ trahunt.* Atque ita res quidem ipsa manifesta est ac vera, nimirum animas verè ab igne isto infernali cruciari, qua autem ratione id fiat, capere & intelligere nequimus. Et sicut verissimum est animã incorporeã, corpori humano vniri, eiq; vitam cõmunicare, quomodo verò vnio ista contingat, nemo comprehendere potest: ita etiam veritati congruit animam igni vnitam ab eodem aduri ac cruciari, quamuis modus, quo hoc fiat, ignoretur. Dominicus Soto in 4 sent. dist. 50. quæst. vnica, art. 2. explicans modum, quo animæ cruciantur ab igne infernali, dicit animas ad ignem æternum condemnatas videntes in Inferno sese ceu carcere quodam à diuina Iustitia conclusas detineri, nõ minorem in voluntate sua experiri

periri afflictionem ac dolorem, quam si corporibus suis vnitæ horrendis gehennæ incendijs excruciarentur, adeò vt animarũ hæc pœna non procedat ab ipso igne effectualiter, sed obiectiuè tantùm, veluti loquuntur in scholis, id est: non minora tum percipiunt tormenta quàm perpessuræ sunt iudicio iam adimpleto, quando videlicet rursus cum corporibus coniunctæ æternis flammis torquebuntur. Iam verò quod eiusmodi tormenta animabus ex sola ista nascantur apprehensione, quasi iam corpora earum viua extinguibilibus Inferni ignibus exurerentur, non ex naturali, sed ex virtute diuina ac supernaturali proficiscitur. Hanc eandem doctrinam sequitur Gregorius de Valentia Tomo 1. quæst. 25. puncto 3. vbi & S. Thomæ doctrinam eandem esse affirmat par. 1. quæst. 64. art. 4. ad 1. Alij dicunt ignem istum diuina virtute excitatum, tanquam instrumentum iustitiæ diuinæ effectualiter ac realiter animas damnatas cruciare, perinde nimirum vt in S. Baptismate aqua ceu instrumentum, diuina virtute, in anima nostra producit gratiam, quæ res est spiritualis. Verùm isti modum non explicant, sed vnam difficultatem per aliam exponunt difficultatem. Suarez de Purgatorio disp. 46. sect. 2. meliùs hanc quæstionem explanat, & quasi probabi-

babilem multis authoritatibus ac rationibus defendit. At mihi Cardin. Bellarmini sententia placet.

DE PVRGATORIO SEV TERtio receptaculo animarum in altera vita.

CAPVT XXV.

PEr Purgatorum Ecclesia Catholica locum alterius vitæ intelligit, ad quem perueniunt animæ illæ, quæ, quamuis ex hac vita in gratia Dei discedant, nihilominus tamen culpa aliqua veniali contaminatæ sunt, aut certè pœnam aliquam tẽporalem sustinere debent, eò quòd in hac vita pro peccatis suis plenariè nondum satisfecerint. Hæ autem animæ Cælum penetrare ac Beatitudine perfrui nequeunt, priusquam purgatæ sint, ac pro peccatis in Purgatorio plenariè satisfecerint.

Quòd autem in altera vita eiusmodi locus sit, quem nos Purgatorium appellamus, manifestè ex *S.* Scriptura deprehenditur. ac primò quidem ex lib. 2. Machab. c. 12. vbi de Iuda Machabæo dicitur, quòd 12. millia drachmas argenti miserit Ierosolymam offerri ea ibi pro peccatis mortuorum iustè & religiosè de resurrectione cogitans,

concluditque S. Scriptura his verbis: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Ergo in altera vita locus est in quo animæ eleemosynis & orationibus viuentium à peccatis liberantur, hunc nos Purgatorium nuncupamus: in Inferno enim nulla est redemptio aut peccatorum remissio, sed pœna perpetua. In regnum cælorum nemo coinquinatus intrabit; necesse est ergo alium esse locum distinctum, vbi animæ à peccatis leuioribus purgentur ac liberentur. Aliud S. Scripturæ testimonium est. 1. Reg. c. vlt. vbi dicitur habitatores Galaad audita morte Saulis septem diebus ieiunasse. Beda super hũc locum, ait ieiunium illud institutum fuisse ad iuuandam animam Saulis, aliorumque qui in pugna illa ceciderant. Ergo in altera vita locus est vbi animæ adiuuari possunt. Præterea apud Sanctum Matthæum cap. 12. Christus dicit blasphemiam contra Spiritũ S. non remitti neque in hoc sæculo neque in futuro. Ex quo loquendi modo necessariò infertur alia leuiora peccata remitti in altero seculo. Quemadmodum si quis alicuius facinoris reo dicat: ab hoc facto nec à Senatu nec à Rege absolutionẽ impetrabis, is per hanc loquendi formulam procul dubio insinuaret aliorum leuiorum delictorum veniam & à Senatu & à Rege obtineri

neri posse: Ita eum in locum intelligunt SS. Patres, vti *S.* Augustinus lib. 31. de Ciuit. Dei. cap. 24. *S.* Gregorius. 4. Moral. ca. 39. *S*anctus Bernardus in Cantica, serm. 66. alijque complures. Similis locus est in Epist. S. Ioannis, 1. cap. 5 vbi inquit: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* Per *peccatum ad mortem*, omnes mortale peccatum intelligunt, de quo nondum facta sit pœnitentia. Si *S.* Ioannes non vult vt rogemus pro illis, qui in mortali peccato moriuntur, rectè sequitur licere pro ijs orare, qui ex hac vita venialibus peccatis coinquinati discedunt.

Ipsa etiam ratio hanc nostram de Purgatorio veritatem confirmat, nam omnes concedunt aliquos mori solis peccatis venialibus coinquinatos, nonnullos item ex hac vita discedere, qui nondum plenariè satisfecerunt pro pœna quàm luere debebant pro peccatis præteritis quorum culpa iam condonata est. Quæro nunc, animæ istorum quò vadunt? Non in Cælum, quia ibidem nullæ peccatorum pœnæ luuntur, neque eò intrat anima vlli culpæ, quantũuis veniali obnoxia, sicut in Apocalypsi dicitur, Nec ad Infernum descendunt, quoniam in statu gratiæ sunt, & charitatem habent. Denique nec ad Limbum puerorum, eò siquidem pertinẽt omnes originali pec-

cato obnoxij, hæ autem animæ S. Baptismatis lauacro ab originali labe ablutæ sunt. Necessariò igitur quartus aliquis concedēdus est locus, in quo animæ purgentur, simulque temporales pœnas persoluāt, quas pro peccatis persoluere obligantur. Atque hunc locū nos *Purgatorium* nominamus.

Nec sanè dicere sufficit iustis ex hac vita decedentibus venialia omnia peccata remitti, cùm super hac re, vti sequenti capite demonstrabimus, diuersæ diuersorum sint sententiæ. Deinde, ponamus culpam peccatorum venialium remitti simulatque anima de corpore emigrat; nihilominus tamen adducta ratio optimè *Purgatorium* esse probat, quia restat pœna temporalis, pro qua nequit fieri satisfactio præterquam in *Purgatorio*.

Iam verò peccato remisso certum est ordinariè pœnam aliquam temporalem pro eodem restare persoluendam vel in hac vel in altera vita, probaturque ex 2. Regum 12. vbi dicitur Dauidi post remissum iam peccatum, in pœnam eiusdem moriturum filium ex adulterio sibi natum. Et hæc est doctrina S. Augustini in Ioannem tractat, 124. vbi expresse asserit homini pœnam pro admissis peccatis persoluendam esse. Hæc autem pœna à multis non persoluitur in præsenti vita, plurimi enim iam morti vicini primùm conuertuntur, neque tempus ha-

bent ſatisfaciendi pro delictis : neceſſariũ ergo eſt vt pro eiſdem ſatisfaciant in altera vita Adhęc etiam veritas Purgatorij à ſacro Concilio Trident.ſeſs 6.c.30.& ſeſs.25.tanquam fidei articulus confirmata eſt ac definita, & multis retrò temporibus determinata à Concilio Florentino in decreto de vnione Græcorum, & in Concil. Conſtantienſi cõtra 5. art.VViclef, & in pluribus alijs Concilijs.Huc accedit, quòd non Chriſtiani tantum eiuſmodi locum in altera vitaeſſe credant,in quo ſatisfiat pro peccatis animæq́ue abluantur à maculis in hac vita cõtractis; ſed etiam Iudæi talem exiſtere locũ confiteantur,ſicut de Machabæis dictũ e ſt. Et Ioſephus l.de Bello Iudaico c. 19. aſſerit Iudęos ſemper ſolitos fuiſſe orare pro mortuis,ſolis ijs exceptis qui ſibijpſis mortẽ cõſciuerant.Mahometani quoq; confitentur, quemadmodũ ex Alcorano ipſorũ videre eſt.Confitẽtur & Ethnici,vti Plato teſtatur in Gorgia, & Cicero in Somnio *Scipionis* ſub finem. Ratio qua mouebantur iſta erat : Eorum, qui ex hac vita decedunt,nonnulli optimi ſunt, & hos manent præmia æterna,nonnulli peſſimi, & in hos conſtituta eſt ſempiterna pœna,alij demũ ſunt ex parte boni & ex parte mali : neceſſariũ igitur eſt medium quendam eſſe locum , in quo eiuſmodi homines à peccatis ſuis mũ-

dentur & hunc locum Purgatorium appellamus.

Demùm multæ animæ viuis apparentes ab ijſdem auxilium, quò à Purgatorij pœnis liberarētur, flagitauêre. Anima Paſcaſij S. Germano Epiſcopo apparuit, cuius etiam precibus liberata fuit, vt ſcribit Sanctus Gregorius lib. 4. dialog. cap. 50. qui & 55. ca. eiuſdem lib. ſeipſum aſſerit Monachum quendam trigeſies Miſſam celebrando, ex Purgatorio liberaſſe. Gregorius Turonennenſis in lib. de Gloria Confeſſorum cap. 5. ait S. Martino Vitalinam Virginem apparuiſſe ac narraſſe ob exiguum aliquod delictum adhuc ſe in Purgatorio detineri, quæ precibus S. Martini continuò liberata fuit. Beda lib. 3. hiſtoriæ ſuæ cap. 19. & lib. 5. ca. 13. ſcribit de duobus à mortuis reſuſcitatis, qui de Purgatorio plurima retulerunt. S. Bernardo quidam Monachorum ſuorum apparuit, qui multa tormenta in Purgatorio perpeſſus, tandem S. Bernardi ſuffragijs liberatus fuit, ſicut refert Guilielmus Abbas in vita S. Bernardi lib. 1. cap. 10. Plurima exempla ſimilia leguntur in Vincentio lib. 23. Speculi hiſtorialis.

Reliquum nunc eſt, vt, qua in parte Mundi Purgatorium ſit, inueſtigemus. Aliqui dicunt nullum certum ac determinatum Purgatorij locum eſſe, ſed illic purgari animas

mas vbi deliquerunt. Ita sentit Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacr. p. 16. cap. 4. Verum id probabile non est, fieri enim potest, vt quis diuersis in locis peccauerit, in quibus omnibus eum purgari non est verisimile. Præterea Ecclesia semper tenuit certum aliquem locum animabus purgandis determinatum esse in altera vita. Quòd autem animæ quædam alibi purgentur (veluti S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 40. & 55. animam Pascasij in balneis Puteolanis purgatā fuisse scribit, & petrus Damianus ep. 13. ad Desiderium cap. 2. animam S. Seuerini in flumine quodam à peccatis ablutam asserit) id non fit nisi ex singulari Dei permissione & boni alicuius fine, non autem secundum ordinariam legem. Alij purgatoriū in media aëris regione inter Cælum & terrā esse existimant, vti refert D. Thomas in 4. dist. 21. Ratio illorum forsitan hæc est: Animæ in purgatorio existentes, quasi mediæ sunt inter animas beatas & damnatas, ergo & locus earum videtur esse inter Cælum & Infernum. Communis Theologorū, vt D. Thomæ & aliorum, sententia est, certum quendam esse locum in visceribus terræ, Inferno contiguum, quemadmodum superius dictum est ca. 8. Atque ita etiam sentire videtur Ecclesia quando pro peccatis animarum in Purgatorio commorantium

orat, dicens: *Libera Domine animas fidelium defunctorum de pœnis Inferni, & de profundo lacu.* Confirmatur idem visione quadam, quam Beda lib. 5. histor. cap. 13. de quodam narrat qui Purgatorium Inferno contiguum esse viderit.

Quæritur secundò quamdiu Purgatorium sit duraturũ? Hîc de loco tantùm *Purgatorij* agitur, de duratione verò pœnarum inferiùs tractabimus ca. 27. Origines hom. 14. super S. Lucam, post Resurrectionem etiam aliquas animas fore existimat quæ purgatione indigeant. Suarez tamẽ de Purgatorio disp. 46. sect. 4. Origenem contrariæ sententiæ fuisse arbitratur, locumq; citatum dicit esse suppositítiũ, eò quòd paulò ante eundem locum dicat errorem esse credere *corpus resurgens esse sordidum, aut purgatione indigens*. Ratio, qua eiusmodi opinio confirmatùr, hæc est: Anima sola non peccauit, sed simul cum corpore coniuncta. Ergo etiam corpus purgari debet, post Resurrectionem scilicet quando anima ipsum corpus resumet. Verùm hæc ratio non subsistit, quippe cùm eadem ratione probari possit, nec Beatorum animas in Cælo esse, nec damnatorum in Inferno ante Resurrectionem, quicquid enim boni fecerunt vel mali, idipsum fecerunt quando cum corpore fuêre coniunctę. Ad rationem huiusce opi-

opinionis respondetur animam, cùm sub-
iectum & causa efficiens sit peccati, meritò
solam puniri vsque ad extremum Iudiciū:
nam peccatum ex libero prouenit arbitrio,
quod in anima est, atque ideò in sola ani-
ma puniri debet aut purgari. Deinde, cùm
corpus resoluatur in cinerem, etiam aliquo
modo purgatur, quamquā impropriè, quia
& Sanctorum corpora, quæ nulla indigent
purgatione, in cinerem resoluuntur.

Tertiò, circa hanc materiam de Purga-
torio tria occurrunt dubia. *Primò*, an ignis
ille Purgatorij corporeus sit? *Secundò*, an
idem sit ignis *Purgatorij* & Inferni? Tertiò,
quomodo animæ, quæ spiritus sunt, hoc i-
gne purgentur ac crucientur? Responden-
do ad dubium secundum, simul enodatur
primi & tertij dubij difficultas. Dico ergo
ignem Inferni & Purgatorij vnum & eun-
dem esse, iuxta communem omnium The-
ologorum sententiam, & authoritatem su-
periùs Cap. 8. ex S. Gregorio allatam. Si i-
dem est, ergo etiam corporeus, vti suprà
Cap. 23. de Infernali igne dictum est, eo-
demque modo cruciat animas in
Purgatorio, quo damna-
torum in Inferno.

(∴)

DE STATV ANIMARVM in Purgatorio commorantium.

CAPVT XXVI.

QVæ de animabus in Purgatorio existentibus Catholica credit Ecclesia & à nobis cognosci queunt, sunt hæc. Primò, omnes animæ illæ, etsi peccato aliquo veniali contaminatæ sint, aut satisfacere teneantur pro pœna, temporali, quam delictis suis promeruêre; nihilominus tamen in eadem gratia sunt apud Deum cum qua ex hac vita discesserunt. Ratio est, quia anima dum à corpore separatur non peccat, ergo non amittit Dei gratiam: nam neque per peccata venialia perdit eam, sicut apud omnes in confesso est, neque perdere illam in Purgatorio potest, eò quòd animæ (vt postea docebitur) in Purgatorio peccare nequeant. Sequitur ergo illas eandē seruare gratiam & charitatem quam habebant in hac vita. Quapropter Apostolus ad Corinthios de charitate loquens ait: 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.*

Secundò, certum est omnes animas in Purgatorio commorantes de salute sua esse securas: sciebant enim iam tunc per fidem,

cùm adhuc in viuis essent, animas simulatque purgatæ fuerint infallibiliter trãsferri ad Cælum, ibique æterna beatitudine perfruituras, quam cognitionem in altera quoque vita retinent ac conseruant. Adhæc etiam sciunt se esse in Purgatorio, quia in particulari Iudicio cognouerunt ad Purgatorium se esse destinatas, eoq; à SS. Angelis Custodibus perductas, quare certò sciunt purgationis suæ pœnis persolutis æternam se Beatitudinẽ consecuturas in Cælis. Atq; hoc insinuare videtur Michæas Propheta, quando dicit cap. 7. *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum: educet me in lucem, videbo iustitiam eius.* quòd vnanimiter omnes animæ Purgatorium intrantes dicere videntur. Deinde etiam valdè credibile est animas, quæ in Purgatorio detinentur, ab ipsis subinde Angelis visitari ac consolari in tormentis, simulque ab eisdem intelligere æternam eas in Cælis manere remunerationem. Demùm nouerunt etiam se esse in statu gratiæ, & habitum habere Charitatis, quippe cùm in semetipsis experiantur quòd Deum diligant ac detestentur peccatum, quod minimè faciunt animæ damnatorum. Ergò sicut hîc per fidem sciebant saluari eos, qui in gratia ac charitate

essent, ita quoque illic sciunt se saluandas.

Tertiò, certum est animas in Purgatorio existentes nec mereri amplius posse nec delinquere, quemadmodū perspicuè illud S. Scriptura in Ecclesiastico attestatur dicens: *Mortui nihil nouerunt ampliùs, nec habent vltra mercedem.* Non habere mercedem, significat eas nec mereri quicquā, nec delinquere. *Præterea* cap. 14. inquit: *Ante obitū tuum operare iustitiam, quia non est apud inferos inuenire cibum.* Et ideò in Apocal. cap. 10. dicitur: *Tempus non erit amplius.* Ex quo Apostolus ad Galathas 6. infert: *Ergo dum tēpus habemus, operemur bonum*, quoniam in hac vita solùm meremur. Idem ratio cōfirmat, nam priusquam animæ ad Purgatoriū amandentur, sententiam suam in particulari Iudicio recipiunt: itaque si in purgatorio mererentur aut delinquerent, iterum necesse foret eas iudicari. Adhæc etiam sequeretur animam aliquam, quæ in hac vita negligens fuerit, maiorem in Cælo gloriam habere posse, quàm quæ hîc pro peccatis suis accuratissimè satisfecerit, summaque diligentia à venialibus etiam immunem se cōseruauerit: hæc siquidē de corpore emigrās subitò in Cælū euolat; illa verò ad Purgatoriū secedens (si ibidem meritis locus relinquitur) maiorē sibi quàm altera illa acquirere poterit gloriam, quantumuis in æqua-

li gratia de hac vita vtraq; excesserit, quod perquam absurdum est. Idem illud affirmāt quoq; SS. Patres, veluti S. Hieron. in verba ista cap. 1. Ecclesiast. *Lignū in quocunq; loco ceciderit, ibi erit*. Item S. Bernard. ser. 49. inquit: *Anima post hanc vitā nec ex mala bona fieri, nec bona fieri ex mala potest*. S. Chrysost. hom. 55. in Ioan dicit: *Dum hæc durat vita laborādum est, venit nox* (alterum videlicet seculū) *quando nemo operari potest*, id est quicquam promereri. S. Hieron. super ca. 6. ad Galatas explicans verba illa: *Quæ seminauerit homo, hæc & metet*. hanc vitam tempus seminandi esse dicit, qua elapsa, nullū amplius seminādi tempus erit. Sanctus Augustinus in Enchir. cap. 110. inquit: *Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitā releuari quispiam vel grauari. Nemo antē se speret quod hic neglexerit, cum obierit apud Deum promereri.* S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 39. idem asserit, citatque illud S. Ioannis Cap. 12. *Ambulate dum lucem habetis*. itemque illud S. Pauli 2. Corinth. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. innuens scilicet post hanc vitam nos salutem mereri non posse. Denique Origenes in Psalm. 36. idipsum quoque astruit, & citans illud S. Ioannis: *Venit nox quando nemo potest operari*, ait: *In altero illo seculo vnusquisque operibus pascitur quæ hîc operatus est.*

Dicet fortaſſe quiſpiam, Animæ in Purgatorio exiſtentes habent ea quæ ad merendũ ſunt neceſſaria id eſt Fidem, Spem, Charitatem, Gratiam & liberum arbitrium, cur ergo non merentur? Reſpondeo, quia non ſunt amplius in via merendi, quæ præſens eſt vita, qua finita omni merito ianua præcluditur. Ita docent ſacræ literæ & SS. Patres, ſicut ſuperius dictũ eſt. Si deinde quærat, quare Deus in hac ſola vita nos voluit mereri? Reſpondeo, quod ad decentẽ huius Mundi gubernationem ita eſſet neceſſarium: hîc enim militamus ac meremur, in futura autem vita victoribus corona, victis verò pœna retribuitur.

Quartò, certum eſt animas, quæ in *Purgatorio* ſunt, peccare non poſſe, alioquin enim falſum eſſet quod de Iuſto dicitur in lib. Sapientiæ cap. 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Si iuſtus in altera vita peccare poſſet, non eſſet ſecurus à peccato. Et paulò poſt in eodem cap. ſubiungitur: *Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* Tã verò ſi in altera vita Iuſtus peccatum & iniquitatem committere poſſet, fruſtra maturè eum Deus ex hac vita tolleret, quippe cũ nec in altera vita à peccandi periculo immunis eſſet futurus, atque hoc modo locũ

illum S. Cyprianus exponit in sermone de mortalitate. Præterea in Ecclesiast. c. 11. dicitur: *Ante mortem ne laudes hominem.* Negat Salomõ ante mortem quempiã esse laudãdum, nemo siquidem adeò bonus est, dum hîc viuit, quin malus fieri possit: post mortem verò laudari quis potest, quia bonus in altera vita omnino nequit fieri malus, eò quòd tunc nemo amplius possit delinquere. Sic locum istum exponit S. Augustinus in Genes. quæst. 118.

Neque desunt rationes ad hanc veritatẽ stabiliendam. Animæ siquidem in Purgatorio commorantes, per acerbissimas quas ibidem patiuntur pœnas, perfectissimè intelligunt quàm graue sit, & quantum mali importet offendere Deum, sciunt præterea sola peccata obstare quò minùs Deo in cælis perfrui possint. Quomodo ergo credis eas ad peccandum induci posse, scientes per peccata pœnas suas prolongari ac crescere, aditumque ad cælestia regna retardari? Adde, cùm nihil in Purgatorio sit, quo vel tẽtari vel ad peccatum incitari queant, vti in hoc seculo, impossibile esse vt in Purgatorio amplius peccent.

Idem illud antiqui Patres crediderũt, vt S. Cyprianus ser. de mortalitate, vbi verba illa S. Pauli ad Philip. 1. adducens: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrũ.* Quod, (inquit)

lucrum illud est, nisi à peccatis & huius vitæ laqueis liberum esse? S. Augustinus de prædestinatione Sanctorũ cap. 14. ait: *Peccandi pericula nec deesse in hac vita, nec esse post istam.* vbi pro eiusdẽ rei confirmatione plures alias ex S. Scriptura adducit authoritates. Hîc dubiũ aliquod occurrit, an nimirum animæ *Purgatorium* ingrediantur cũ peccato aliquo veniali? Causa huiusce difficultatis hinc existit, quia videlicet certum est iustorum aliquos mori cum peccatis venialibus, certum deinde est eorundem animas, simulatque purgatæ sint, in cælum emigrare ad fruendum Deo, ideoque eas omni veniali culpa carere necesse est, quippe cum nemo intret in Cælum coinquinatus peccato siue mortali siue veniali: quæritur ergo nunc quando eiuscemodi peccata venialia remittantur, in Purgatorio, an verò priusquam Purgatorium ingrediantur? Multi ea remitti existimant in ipso instanti quo anima à corpore separatur, tum enim anima statum suum cognoscens exercet actus amoris erga Deum, ac peccata venialia detestatur, quæ hoc ipso actu abolentur ac remittuntur. In hac sententia est Durandus, Paludanus, pluresque alij, quos citat Suarez de pœnitent. quæst. 87. disp. 11. sect. 4. Alij peccata ista venialia in ipso Purgatorio aiunt remitti, quando videlicet a-
nima

nima purgatur per pœnas quas patitur: nã dum illas voluntariè acceptat, patienter sustinet, aliosque bonos actus exercet, omnium peccatorum suorum venialium remissionem consequitur. In hac sentẽtia est S. Thomas in 4. dist. 21. quæst, 2. art. 3. q. 1. S. Bonauentura 2.2. quæst. 1. Soto dist. 15. q. 2. art. 2. & complures alij. Quanquam Suarez S. Thomã pro se citat qu. 7. de Malo art. 11. Harum opinionum etsi vtraque probabilis sit, magis tamen mihi placet secunda: quid enim absurdi hinc sequitur, si animã cum veniali culpa in Purgatorium intrare dicamus? Et cùm in futuro seculo SS. Patres affirmẽt peccata venialia seu leuiora remitti, per illud ipsum Purgatorium potius videtur intelligi posse quàm momentum siue instans illud, in quo anima à corpore separatur. Superest nũc vt inquiramus, an animæ quæ in Purgatorio detinentur, etiam orent pro nobis? Nonnulli idipsum negauerunt hac moti ratione, quia videlicet sunt nobis inferiores propter pœnas quas sustinent, putantq; in illo statu eas aliorum potius indigere precib⁹ quàm idoneas esse vt pro alijs intercedant, quippe quæ propriorum debitorum causa quasi carceri inclusæ detineantur. Alij contrarium sentiunt, vt Medina de Oratione quæst. 5. vbi dicit animas in Purgatorio existentes orare generali-

neraliter pro omnibus fidelibus, speciatim verò pro illis, qui in hac vita eis chari fuêre, ratio hæc est, quia animæ illæ sanctæ sunt, charitatem habent, & necessitates ac pericula nostra intelligunt. Neque sanè obstat eas debitrices esse, cum & nos debitores simus atque in exilio degamus, nec tamen idcirco pro alijs orare intermittamus. Neque impedit eas nondum esse in Cælo; Osias enim & Ieremias multum orauêre pro populo, cùm adhuc in Limbo morarẽtur, sicut legitur 2. Machab. cap. vlt. Neque à pœnis, quas sustinent, impediuntur, quò minùs pro nobis intercedant, nam dum patienter eas tolerant, iudicium eis non conturbant, neque affectum tollunt bonæ voluntatis, atque ita certum est, quemadmodum non obstantibus ijsdem pœnis orant pro semetipsis, ita etiam pro nobis orare posse, veluti Martyres plurimi, dum à carnificibus torquebantur, pro alijs intercesserunt. v.g. S. Stephanus Acto. 7. dum lapidaretur pro ipsis lapidatoribus suis Dominum exorauit. Et S. Lucas 16. cap. diuitem Epulonem inter medias inferni flammas Abraham pro fratribus suis deprecatum fuisse scribit. Demùm si Dæmones acerbas illas Gehennæ pœnas sustinentes sine intermissione tentare nos possunt & affligere, cur non istæ quoque animæ, etsi

patiantur, pro nobis orare queunt? Respondendum igitur est, inferiores etiam pro superioribus orare posse, quemadmodum in primitiua Ecclesia fideles orabant pro S S. Petro & Paulo superioribus suis. Et *S.* Paulus pluribus etiam in locis fideles rogabat, vt pro se preces ac orationes funderēt. Prǫterea quamuis animæ istæ in *Purgatorio* ratione pœnarum nobis sint inferiores, nihilominus tamen superiores nobis sunt, quia confirmatæ sunt in gratia ac charitate, quæ orationem efficiunt perfectam.

Hîc notandum est, etsi opinio illa, quæ negat animas in Purgatorio existentes pro nobis orare, communiter quidem attribuatur *S.* Thomæ in 2. 2. quæst. 83. art. 11. ad 3. tamen *S.* Thomam non absolutè negare eas animas pro nobis orare, sed tantùm dicere illas non esse in eo statu in quo pro alijs orent, sed in quo ipsæ potius aliorum preces & vota requirant. Iam verò ex hoc loquendi modo non infertur animas illas omnino non orare pro nobis. perinde vt de principe aliquo incarcerato, dum carceri tenetur inclusus, rectè quidem dici potest eum non esse in statu apto ad benefaciendū & subueniendum alijs, sed in eo potius in quo ipse aliorum fauore & auxilio indigeat: veruntamen non hinc concludi potest, neminem ab ipso adiuuari, nam si velit,

etiam carceri inclusus fauore & consilio alijs prodesse potest.

Hinc aliud oritur dubium, an videlicet animæ, quæ in purgatorio detinentur, pro se orantes liberationem ad minimum de congruo consequantur aut pœnarum aliquam remissionem obtineant. Multi partẽ negatiuam tuentur, eò quòd qui in hac vita negligens fuit in satisfaciendo pro peccatis suis, ac cõmoditates & occasiones purgandi se bonis operibus à Deo concessas fuit aspernatus, omnem commoditatem in in purgatorio à *Deo* pœnarum suarum impetrandi remissionem perdidisse videatur. Quare verisimile est animas illas eiusmodi petitiones tanquam inordinatas non instituere. Nihilominus tamen probabile est, eas precibus suis consolationem & confortationem aliquam obtinere per Angelorum visitationem; hoc enim isti statui non repugnat. In ea sententia est *Suarez* de purgatorio disp. 47. sect. 2.

Quærat aliquis, an liceat inuocare animas quę in purgatorio sunt vt pro nobis intercedant, nec ne? Respondeo, etsi id prohibitum non sit, & vnusquisque pro deuotione sua illud facere possit, quorum nõ pauci reperiuntur, qui de facto eas inuocant; nihilominus tamen Cardin. Bellarminus l. 2. de Purgatorio cap. 25. superuacaneum existimat

ſtimat inuocare animas in purgatorio cõmorantes, nam animæ illæ ordinariè ſcire nequeunt quid particulatim inter nos agatur, ſed in genere duntaxat norunt nos hîc in magnis periculis verſari: neque orationes noſtras vident in Deo, quoniam necdũ beatæ ſunt; neque veriſimile eſt ordinariè illis orationes & actiones noſtras reuelari. At qui contrariam ſententiam defendunt, nõ eſſe abſurdum inquiunt animabus iſtis actiones & ſuffragia noſtra ab Angelis reuelari, vt videlicet à nobis inuocatæ gratitudinis nomine ad orandum etiam pro nobis incitentur ac moueantur.

DE POENIS ET TORMENTIS quæ animæ in Purgatorio patiuntur.

CAPVT XXVII.

IN Purgatorio duo pœnarũ genera ſunt, ſicut & de Inferno ſuprà dictum eſt. Pœna videlicet damni, per quam animæ, quæ ibi purgantur, priuatæ ſunt beatifica viſione Dei, qua frui & ipſæ poſſent niſi peccatis præpedirentur. Altera pœna ſenſus eſt, qua nimirũ Purgatorij ignibus excruciãtur. Prior illa pœna omnibus æqualis eſt, poſterior verò inæqualis ac diuerſa iuxta pecca-

catorum varietatem; vtraque autem eousq; durat dum anima omnino purgata sit, ac pro peccatis suis plenariè satisfecerit.

De magnitudine & acerbitate vtriusque pœnæ nonnihil discrepant Theologorum sententiæ. *S.* Bonauentura in 4. sent. dist. 20. art. 1. quæst. 2. arbitratur pœnam damni in *Purgatorio* non esse grauiorem omni pœna sensus quæ in hac simul & in altera vita reperiatur. Dicit præterea minimam etiam pœnam sensus Purgatorij vehementiorem esse maxima pœna sensus huius vitæ. Pœnæ verò Purgatorij eatenus huius vitæ pœnis grauiores & acerbiores dicuntur, quatenus maxima Purgatorij pœna grauior est maximis huius vitæ tormentis & afflictionibus. Vnde sequitur minorē aliquam aut mediocrem Purgatorij pœnam non esse grauiorem maxima pœna quæ in hac vita sustineri possit. Et hæc sententia placet Cardin. Bellarmino lib. 2. de Purgatorio cap. 14 Altera sententia est *S.* Thomę in 4 sent. dist. 20. quæst. 1. art. 2. vbi dicit pœnam damni in Purgatorio grauiorem esse quauis pœna, quæ tam in hac quàm in altera vita possit sustineri. Ratio autem hęc est, quòd nimirum pœna damni priuatio sit summi & infiniti boni, quòd Deus est, obiectum videlicet beatificum, omnis autē pœna sensus est priuatio boni longè inferi-
oris,

oris, quale nimirum bonum est, quies animi & liberatio à dolore & afflictione. Ergo altera illa pęna hac multò grauior est & intolerabilior.

In eadem sententia est Paludanus, Richardus & Soto in 4. dist. 13. art. 3. conclus. 2. & alij plures, qui asserunt tristitiam & afflictionem, quæ ex pœna damni nascitur, quemuis alium præsentis vitæ dolorē exuperare: cùm beatifica visio (quæ impeditur pœna damni) tale bonum sit, vt, si quis ea solùm vna die perfruatur, maius bonum possidere putetur, quàm si vniuersa huius vitæ bona vel longo tempore possideat: vnde sequitur tanti boni impedimētum vel ad aliquod solùm tempus, vniuersis præsentis vitæ afflictionibus grauius esse atque intolerabilius. Cùm igitur animæ in Purgatorio existentes sciant sua solummodo negligentia & culpa tāti tamq; desiderabilis boni fruitioni moram interponi, non possunt non quàm grauissimam inde concipere afflictionem. Atque hinc cognoscimus & videmus, quanti etiam peccata venialia æstimanda sint, quippe quæ à visione & fruitione Dei, qui bonum est infinitum, nos remorari queant, ac impedire.

Dicet aliquis, tristitia illa, quam animæ in Purgatorio ex priuatione visionis DEI concipiunt, certa obtinendæ beatitudinis

spe

ſpe mitigatur, ergo non eſt ita magna. Reſpondeo triſtitiam illam non eſſe pœnam damni, de qua hîc loquimur, ſed eiuſdem potius effectum, & pertinere ad pœnam ſenſus. Itaque pœna damni in hoc cōſiſtit, quòd nimirum anima ſua culpa ſummo iſto bono eo tempore non perfruatur, quo frui alioquin potuiſſet: quæ priuatio, cùm ſummi boni ſit ſpoliatio, pro ſumma etiam pœna reputetur neceſſe eſt: Ex qua anima non poteſt non maximum percipere dolorem. Adhæc dicit *S.* Thomas qualemcunq; pœnam ſenſus *Purgatorij* quouis tormento præſentis vitæ eſſe grauiorem. Et hæc etiam *S*ancti Auguſtini doctrina eſt in *Pſal.* 37. vbi adducens verba illa Apoſtoli 1. ad Corinth. 3. *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem* inquit, *Quamuis ſalui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid homo poteſt pati in hac vita.* Item in lib. de cura pro mort. ca. 18. de Purgatorij igne loquitur dicens: *Etſi æternus non ſit, tamen modo grauis eſt, exceditq; omnes pœnas, quas aliquis in hac vita paſſus eſt.* Idem affirmat S. Anſelmus in 1. Cor. 3. cùm ait: *Grauior eſt ille ignis, quàm quicquid homo pati poteſt in hac vita.* Et in Elucidario aſſerit minimum alterius vitę tormentum grauius eſſe maximo tormēto, quod in hac vita ſufferri poſſit. In Epiſtola quoque Auguſtini 206. dicitur

citur

citur pœnam sensus in Purgatorio æqualem esse pœnæ infernali, & hanc ab illa sola duratione differre. *Idem* illud astruit Carthusianus lib de iudicio animarum cap. 14. & S. Gregorius in *Psal.* 6. de igne *Purgatorij* loquens, ait: *Sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione existimo præsenti intolerabiliorem, non solum in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari.* Beda in eundem Psal. dicit nullum vel martyrum vel latronum supplicium cum Purgatorij pœna posse comparari.

Grauissima ergo & acerbissima Purgatorij pœna est, quantumuis enim mitigetur ac relaxetur, omnes certè huius vitæ dolores antecedit. Deinde, licet verum sit (sicut multi arbitrantur) pœnã sensus in Purgatorio, quò propiùs animæ ad finem purgationis ac satisfactionis suæ pertigerint, eò magis mitigari ac decrescere, (qua de re inferiùs agemus) negari tamen non potest, *Purgatorij* igne animabus intolerandos afferre cruciatus, vt qui à Deo ad hũc solùm finem præparatus & institutus sit, vt animas eiusmodi tormentis ab omni peccatorum labe quàm perfectissimè purget. Hinc perspicuum est quàm malè sibi consulant illi qui in hac vita, vbi idipsum minori cũ molestia fieri potest, bonis operibus pro peccatis suis non satisfaciunt. Hîc

Hîc naſcitur dubium, an videlicet leuiſſima *Purgatorij* pœna quauis præſentis vitæ pœna ſit grauior? Hac de re in principio huius capitis pertractauimus, docuimuſque S. Bonauenturam partem tueri negatiuam, alios contra affirmatiuam, vt Suarez de *Purgatorio* diſp. 46. ſect. 3. Dico breuiter hanc rem incertam eſſe, nec omninò perfectè ſciri poſſe: cum enim hæ pœnæ diuerſarum ſint naturarum, inde fit vt ita commodè inter ſe nequeant comparari.

Quòd verò ad grauitatem attinet pœnarum *Purgatorij*, multorum extāt exempla, qui eas fuerunt experti, quorum vnum dūtaxat recenſebo ex ſpeculo Alberti Magni diſt. 5. exemplo 115. Vir quidam (inquit) poſt diuturnam peccatorum ſuorum pœnitentiam peractam in grauiſſimam incidit infirmitatem, qua per triennium circiter miſerè diuexatus, tandem aſſiduis precibus ac lachrymis à Deo flagitauit, vt tam immenſis doloribus morte finem imponeret. Quid fit? Apparet illi Angelus, atque à Deo hanc illi proponi narrauit electionē, aut ſcilicet ſecūdum in tali infirmitate annum tranſigere, ac deinde abſque omni *Purgatorij* tormento liberè in cælum euolare: aut verò è veſtigio mori, ac poſtmodū per triduum in *Purgatorio* detineri. Mortē eligit ægrotus, votique ſui compos effici-

tur.

tur. Animam per vnam ſolam diem in Inferno detentam, idem Angelus alloquitur, ac qui ſe haberet rogitauit, cui reſpondens anima, ô quàm decepta ſum, inquit miſera, per triduum duntaxat in hoc pœnarum loco me manſuram putaui, Et iam complures in eo triui annos, Cui reſpondens Angelus, non inquit temporis longitudo, ſed pœnæ grauitas iſtam tibi peperit opinionem, neque enim amplius quàm vnam ſolam diem in purgatorio fuiſti detenta, nihilominus tamen, ſi ita mauis, concedetur tibi à Deo reuerti in Mundum, vt per vnum adhuc annum priori tuo morbo diuexeris. Accepto (inquit anima) conditionem & vel ad extremi vſque iudicij diem in morbo meo malo perſiſtere, quàm binos ſolos dies in acerbiſſimis hiſce pœnis perſeuerare. Quemadmodum etiam factum eſt, reſuſcitatus enim in vitam, poſteaquam multos rei tam ſtupendæ narratione ad meliorem vitam incitaſſet. altero imbecillitatis ſuæ anno tranſacto ex hac vita lætus ad vitæ æternæ cæleſtia gaudia conceſſit. Hîc notãdum eſt pœnas Purgatorij etſi graues quidem ſint, non tamen perturbare iudicium earum animarum quas affligunt, quemadmodum præſentis vitæ doloribus ac paſſionibus ad inſaniam frequenter adigi homines cõſpicimus: Animæ autem in Pur-

K gatorio

gatorio commorantes tam sunt quietæ, vt Deum etiam amore prosequantur, aliasque actiones exerceant, ceu nulla omnino pœna excruciarentur. Hinc Ecclesia dicit eas dormire in *somno pacis*. quanquam Card. Bellar. l. 2. de Purgatorio c. 13. huius rei, sicut & multorum aliorum mysteriorum, neget haberi posse scientiam, vtpote quæ in futurum nobis seculum reseruetur. Aliud hîc dubium occurrit, an videlicet animæ in Purgatorio à Dæmonibus excrucientur? Beda lib. 3. hist. Angl. cap. 19. Guilielmus Abbas de vita S. Bernardi ca. 10. & Dionys. Carth de quatuor nouissimis, narrant multas animas, quamuis damnatæ non fuerint, à Dæmonibus fuisse cruciatas. Communis Theologorum sententia in 4. sent. dist. 20. hæc est, videlicet animas in Purgatorio torqueri, ab igne, non autem à Dæmonibus, & ratio quidē ipsa illud postulare videtur: non enim congruum esse videtur iustorum animas, quæ in hac vita victoriam de malignis Spiritibus retulerunt, nunc ab eisdē in altera vita affligi. Ad authoritates verò Authorum iam citatorūm respondetur, fieri quidem posse, vt animæ aliquæ occulto Dei iudicio à Dæmonijs torqueantur, at secundum communem Theologorum sententiam ordinariè torqueri ab igne, non autem à Dæmonijs. Ita existimat Sanctus Tho-

Thomas, Richardus, Sanctus Bonauentura, Soto & alij.

Iam quod ad tempus siue duratione͂ Purgatorij attinet, nempe quamdiu animæ in Purgatorio detineantur ac crucientur, certum est illud ipsum ad vniuersale vsque iudicium duraturum, quando scilicet inde omnes animæ exibunt, tunc enim satisfecisse se omninoque purgatas esse comperient, neque tum amplius erit Purgatorium. Ita scribit Sanctus Augustinus lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 16. dice͂s: *Purgatorias pœnas nullas futuras esse, nisi ante extremum Iudicium.* Atque hîc secundum nonnullos hallucinatus est Origenes, qui hom. 14. super Sanctum Lucam dicit omnes post resurrectionem etiam purgatione opus habituros, nemo enim resurget ab omni macula immunis quod falsum est: nam tunc (vti iam dictum est) omnes animæ satisfecisse se ac purgatas esse comperient. Suarez aute͂ suppositum illud esse existimat in hac homilia veluti dictum est superiùs capite 25. §. secundo,

Circa tempus verò, quoad purgationem ac satisfactionem suam animæ nunc in Purgatorio detinentur, Soto in 4. dist. 19. quæst. 3. art. 2. sub finem, existimat nullam animam in Purgatorio 20. annos detineri, nec quide͂ 10. ratio eius hęc est: Si in hac

vita ab omni pœna breuissimo tẽpore nos liberare ac satisfacere possumus, multò cõmodiùs illud in Purgatorio faciemus, quòd ibi pœnæ grauiores sint & acerbiores. Præterea huius vitæ dolores non possunt esse adeò intensi, alioquin enim subiectum, cũ mortale sit, subitò destruerent, in purgatorio verò intensissimi esse possunt, quia anima quæ illos sustinet immortalis est, quare credibile videtur Deum animas amicorũ suorum subitò pœnis intensioribus purgare. Verùm hæc sententia tanquam singularis nullique innixa fundamento reijcitur. Deinde etiam Ecclesiæ consuetudo eandẽ labefactat, quæ concedit Indulgentias 100. & 200. annorum, oratque pro illis qui iam centum & pluribus retrò annis ex hac vita decesserunt, quòd neutiquam factura esset, si existimaret animas vltra 10 annos in Purgatorio non detineri. Ad primam *Soto* rationem respondetur, causam cur in hac vita ita breui tẽpore à pœnis liberari possimus hanc esse, quòd hîc misericordiæ, in *Purgatorio* verò iustitiæ tempus sit. Ad secundam rationem respondetur, quod si ista ratio subsisteret, animas etiam vnius horæ spatio purgari posse, ac quidẽ citiùs, cũ Deus pœnã pro delicti grauitate, quantum opus sit, intendere possit. Adde quòd cõtra hanc *Soto* sententiam faciant multarum animarum

rum reuelationes, quæ in Purgatorio fuerunt multò diutiùs quàm 20. annos, vti scribit Beda lib.5. hist. ca.13. Dionysius Carthus. de quatuor nouissimis, & alij.

Hîc dubium aliquod oritur, an videlicet pœnæ *Purgatorij* paulatim nõnihil remittantur, an verò contra à principio purgationis vsque ad finem eædem permaneant? sicuti ad triremes condemnati, qui primo & vltimo anno, quando dimittuntur, eodem planè modo tractantur. Reperiuntur nonnulli (quemadmodum suprà declarauimus) qui existimẽt *Purgatorij* pœnas sensim magis magisque relaxari, vt ex vita Malachiæ à Sancto Bernardo descripta colligitur, vbi dicitur sororem Malachiæ, quæ in *Purgatorio* detinebatur, aliquoties apparuisse, certisque signis demonstrasse pœnas suas per suffragia fratris in dies fuisse diminutas, ac tandem omninò etiam cessasse. Similes planè reuelationes cõmemorant Beda & Carthusianus in dialogo de particulari Iudicio art.31. Alij existimauerunt animas primùm in eam *Purgatorij* partem deuenire, vbi ignis ardet vehementiùs ac grauiora infligit tormenta, mox vbi leniùs affligit, deinde in locum amœnum vbi nullam sentiũt pœnam sensus, ac inde porrò transire ad Cælũ. In ea sententia est Carthusianus loco citato articulo 30. & 31. *Suarez* de Purgatorio disp.

46. sect. 4. §. *Quaret*, probabiliùs esse putat easdem planè fore ac permanere Purgatorij pœnas vsque ad finem, neque aliter relaxari quã quoad tempus duntaxat, quod abbreuiatur. Ratio eius est, quia eiusmodi pœnæ ac dolores finiuntur, sicuti incipiuntur. Iam verò omnes isti dolores simul incipiunt, non autem paulatim augescunt: ergo etiam ita finiuntur, quod & verisimile est; animæ enim à principio ad certam pœnam, & certum tempus condemnantur, ergo etiam pœna illa vna eademq́ue manebit, donec tempus earum adimpletum fuerit. Quod ad reuelationes istas porrò attinet, respondetur suffragijs ac indulgentijs pœnas *Purgatorij* remitti quidem quoad durationem, non autem quoad intentionem.

Quærèt aliquis, cùm Purgatorij pœnæ & cruciatus adeò acerbi sint, quomodo animæ eos valent sufferre? Respondeo animo lubenti ac patienti: nam etsi pœnæ istæ acerbissimæ sint; charitas tamen, quæ in ipsis dominatur, efficit vt in omnibus diuinæ voluntati sese quàm perfectissimè cõformẽt, vnde non libenter solũ ac patienter pœnas illas sustinent, sed & easdẽ amant ac cõplectũtur, adeò vt si liberæ dimitterẽtur, vltro etiã illas susciperent, scientes iustè se ad easdem condẽnatas, quibus mediantibus ad fruitionem diuinæ Maiestatis admittantur,

tur, ad quam solam præ reliquis rebus omnibus aspirant. Et si nihil aliud sit præter solam illam cognitionem, qua norunt Deū velle vt pœnas illas sustineant, propter hanc solam prompto ac parato animo eas tolerabunt, quæ promptitudo ex perfecta illa nascitur subordinatione, quam habent cum voluntate diuina, qua fit vt nihil velint ipsæ quod non item velit Deus. Aliter enim in Purgatorio accidit quàm in hac vita, in qua si iustus quispiam amore Dei pati desideret, lubentique animo tormenta suscipiat, contingere solet, vt amor iste ac patiendi prompta voluntas dolorem illum non parum leniat ac deminuat: in Purgatorio verò non item, ratio est, quia cùm pœnarum Purgatorij à diuina iustitia certus modus constitutus sit, tam quoad tempus quàm quoad earum qualitatē, hinc fit, vt mitigationē nullam admittant, quātumuis patienter ac libenter perferantur. Huc etiam facit illud quòd pœnæ seu dolores isti, si considerentur quatenus dolores sunt ac res humano appetitui ac naturali inclinationi contrariæ, non modo à nemine appetantur ac diligantur, sed ab vnoquouis potius fugiantur ac declinentur. Atque ita etiam illud Sancti Augustini intelligendum est lib. 20. suarum Confess. capite 28. vbi dicit Deum quidem velle vt

pœnas, quas nobis immittit, ſufferamus, non autem vt amemus.

DE SVFFRAGIIS VIVENtium, quibus animæ in Purgatorio adiuuantur.

CAPVT XXVIII.

SVffragia & adminicula, quibus animabus in *Purgatorio* adiumento & auxilio eſſe poſſumus, quò videlicet ab eiuſmodi pœnis exolutæ citiùs ad Cælum pertranſeant, ſunt hæc, Sacrificium Miſſæ, Orationes Eleemoſynæ, Indulgentiæ, Ieiunia, *Peregrinationes*, Diſciplinæ, Cilicia & ſimilia opera ſatisfactoria, quæ à viuentibus in hoc ſæculo fieri conſueuerunt, vt animabus in Purgatorio exiſtentibus, applicentur. Ita ſemper credidit Eccleſia, ſcriptiſque ſuis conſignatum reliquêre *SS.* Patres, veluti *S.* Ambroſius lib. 2. epiſt. 8. vbi dicit mortuos orationibus potiùs quàm lachrymis eſſe proſequendos *S.* Auguſtinus ſerm. 32. de verbis Apoſtoli, dicit: *Mortui adiuuantur Sacrificio Miſſæ, orationibus & eleemoſynis.* Sanctus Chryſoſtomus hom. *69* ad populum, & homil. *41.* ſuper 1. Epiſt. ad Corinth. ita inquit *Nō lachrimæ ſunt quæ mortuos adiuuāt, ſed orationes ac eleemoſynæ.* Ratio idem efflagitare videtur, membra enim eiuſdem cor-

poris

poris ſibi inuicem compatiuntur ac opem ferunt: cùm ergo animæ in Purgatorio cõmorantes, & nos membra ſimus vnius corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, ſicut Apoſtolus ad Romanos 12. & Galatas 6. inquit: *Alter alterius onera portate.* hinc eſt quòd animabus in purgatorio tanquam infirmioribus ac multa patientibus pijs operibus ſubuenire neceſſe ſit, vt ex pœnis & tormẽtis [illegible] liberentur.

Notandum verò hîc & obſeruandum, particularia viuentiũ ſuffragia, quò meliùs defunctis proſint, ſequentes oportere habere conditiones. *P*rimò quidem Charitatem, qua vnius membri actiones alteri vniuntur ac communicantur. *S*ecundò, intenſionẽ eius à quo proficiſcitur ſuffragium, qua nimirum illud huic vel iſti defuncto applicetur. Tertiò neceſſe eſt, vt defunctus, cui ſuffragium iſtud eſt applicandum, eiuſdem opus habeat & capax ſit: nam ſi nulla ipſi pœna perſoluenda incumbat, nihil pro eo ſuffragia efficient. Damnati porrò, quia in ſtatu gratiæ non ſunt, neque charitatem habent, ſuffragiorũ non ſunt capaces. Quartò, ex parte eius qui ſuffragium præſtat neceſſarium eſt, vt eo ipſo tempore, quo ſcilicet illud præſtat, ſit in ſtatu gratiæ, quemadmodum docet Sanctus Thomas 3. par. qu. 82. articulo ſexto & communiter etiam af-

firmant omnes Theologi. Ratio est, quòd opera, quæ quis mortalibus peccatis obnoxius ad delendam pœnam facit, nullius apud Deum valoris sint & efficaciæ. Atque ideò ne ipsum quidem, qui ea in tali statu operatur, iuuare queunt, multò minùs alijs prodesse poterunt: iuxta illud Apostoli 1. Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Hîc quæstio quædam occurrit, an videlicet suffragia viuentium iuuent infallibiliter animas quæ in Purgatorio detinentur? Respondeo quòd ita, viuentium enim satisfactiones fundatæ sunt in Iustitia, quippe quæ à Deo ordinatæ sint, qui cùm easdem etiam non fore irritas promiserit, sequitur inde Deum illas infallibiliter acceptare. Quærat aliquis, an satisfactiones nostræ tantum valeant pro defunctis, quãtum pro nobis ipsis? Respondeo quod ita, v. g. si quis opus aliquod satisfactorium perficiat illudque applicet sibi, tollet quatuor gradus pœnæ in Purgatorio persoluendæ, quòd si ipsum opus defuncto alicui applicetur, præstabit omnino tantundem: prorsusque eandem in alijs virtutem habebit quam habet in nobis ipsis:

De hac materia disputant Theologi in 4. sentent. dist. 45. ac in sequentibus omnino

conueniunt. Primò suffragia defunctis aliter non prosunt quàm prout à viuentibus huic vel illi applicantur cum intẽtione adiuuandi defunctos. Applicatio autem hæc fit duobus modis, vel enim in genere omnibus animabus quæ in Purgatorio sunt, vel particulariter huic aut illi animæ opera nostra satisfactoria applicamus. Si applicatio illa generalis sit, æqualiter omnes animas opera illa adiuuant in mitigandis pœnis, ac doloribus quos perpetiuntur, fieriq; potest vt anima aliqua liberetur, cui nimirum restet adeò exigua pœnæ particula persoluenda pro sui purgatione, vt accedente generalis istius suffragij parte sibi competente, & applicata satisfactioni suæ imponatur finis atque ita ad Cælum euolet. Si verò in particulari huic vel isti animæ opera illa satisfactoria applicentur, suffragia ijs tantùm opitulantur, quibus applicantur. Ita docet S. Thomas in additionibus suis quæst. 71. art. 12. alijque Theologi in 4. dist. 45. Verùm hęc doctrina iam proposita aduersatur opinioni Præpositiui, qui existimat particularia suffragia nõ minùs alias istas animas in Purgatorio adiuuare, quã eas quib⁹ applicãtur. Quinimo quòd maius est, arbitratur etiã alias istas animas, si dispositæ magis sint per charitatẽ, maiorem etiam vtilitatem ex suf-

fragijs particularibus percepturas quàm eas, quibus suffragia ipsa applicantur. Quam opinionem sequentibus confirmat exemplis. Si quis in cubiculo quodam candelam accendat particularis alicuius personæ gratia, ea lumen præbebit omnibus quotquot erunt in isto cubiculo: aut si Magister aliquis aut Doctor lectionem aliquam habeat, in gratiam alicuius particularis personæ, qui assistunt eandem etiam intelligent, & si ingenij acumine præualeant illi maiorē eo cuius gratia lectio ista habetur, ex eadē fructum percipient, sicut qui visu pollet acutiori, magis de lumine participat quàm is cuius causa lumen istud fuerit accensum. Eandem omninò esse rationem suffragiorū existimat Præpositiuus. Sed hæc opinio tāquam falsa & erronea à Sancto Thoma cæterisque simul Theologis locis citatis confutatur: nam satisfactio illa, quæ suffragijs mediantibus defunctis applicatur, eos solùm iuuat quibus applicatur, quemadmodum si quis aliquam pecuniæ summā pro quopiam alieno æri obstricto persoluat, is solus debito suo soluitur pro quo pecunia illa exponitur, non autem alij quiuis debitores ipsi assistentes. Neque ad propositum faciunt illa Præpositiui exempla: vt enim candela lumen præbeat, non dependet ex intentione accendentis, sed ex sua prouenit

natura

natura, atque hinc illuminat omnes quotquot sunt in eodem cùbiculo: similis planè ratio est cum lectione. At cum satisfactione suffragiorum longè alia omninoque diuersa ratio est: ea siquidem ex intentione applicantis dependet, atq; hinc eos tantū iuuat quibus applicatur; si verò candelæ lumē eodem modo à voluntate & intentione accendentis dependeret, nemini præberet lumen præterquam ipsi cuius gratia accenditur. *S*ecundò, sequitur quòd satisfactio, quę mediantibus viuentium suffragijs fit, cùm finita sit, quò pluribus applicatur eò minùs de eadem participent singuli. similiter suffragia generaliter applicata omnibus animabus in *P*urgatorio existentibus, prout multæ aut paucæ sunt, plus aut minus opitulantur: nam si multæ sunt, parum vnaquæque earum adiuuatur; at si exiguus earum fuerit numerus, maior ad singulas redundat fructus. Tertiò, Caietanus to. 1. opusculorū tract. *16*. q. 5. dicit: vt suffragia opem ferant illis quibus applicantur, necessarium est, vt eiuscemodi singulari quodam modo in hac vita meruerint aliorum suffragijs in altera vita adiuuari, quales ferè sunt illi qui Indulgentiarum acquirendarum præ cæteris fuêre studiosi, diligentesque in fundendis precibus & orationibus pro defunctis. Verùm iuxta aliorum Theologorum sen-

tentiam illud non est necessarium, sufficit enim eos, quibus eiusmodi suffragia applicantur esse in statu gratiæ apud Deum, iisq; indigere. Deinde etiam omnes Iusti in Purgatorio commorantes bonis suis operibus, quæ in hac vita operati sunt meruerũt quorumcumque etiam suffragijs adiuuari, licet conditiones istas, quas requirit Caietanus, non habeant. Quod ex S. Augustino in Enchiridio suo cap. 109. & 110. facilè colligere est, quando inquit: *Decedentes in gratia dum hîc viuerent, meruerunt post mortem iuuari suffragijs viuorum.* Quartò, suffragia animabus defunctorum non sunt adiumẽto: si is qui præstat peccato mortali sit obnoxius: necesse enim est principalem suffragiorum istorum authorem esse in gratia Dei, siquidem Deus satisfactionem istam non acceptat quæ ab inimico eius proficiscitur. Præterea cùm peccator inimicus Dei sit, ne pro se quidem satisfacere potest, multò minùs pro alijs satisfaciet. Dixi principalem suffragiorum authorem necessariò esse debere in Dei gratia, causam verò instrumentalem non item v. g. Dominus aliquis per famulum suum eleemosynã mittit ad Ecclesiam pro animabus in Purgatorio detentis, hîc non requiritur vt seruus, qui causa est instrumentalis, in gratia Dei sit, sed sufficit Dominum tantùm, causam scilicet

ſicet principalem, eſſe in ſtatu gratiæ.

Hîc ſuboritur aliquod dubium: ſi Dominus quiſpiam adhuc in ſtatu gratiæ exiſtens eleemoſynam fieri ordinauerit pro aliquo defunctorum, quæ tamen non perducatur in effectum niſi *Domino* iam lapſo in mortale peccatum, ſatisfacitne hæc eleemoſyna pro defuncto an non? Reſpondeo quod ita, quia cùm primùm eleemoſyna illa ordinaretur, Dominus, eiuſdem principalis cauſa, adhuc in ſtatu gratiæ erat apud Deum.

Notandum verò hîc eſt quod Gabriel in ſupplemento ſuo diſt. 45. quæſt. 2. art. 2. dicit, nempè, ſi quis in peccato mortali conſtitutus teſtamentum faciat in quo ſuffragia aliqua ordinauerit, poſtmodum in ſtatu gratiæ moriatur, illud ſufficere ad percipiendum fructum iſtorum ſuffragiorum. Alij verò inter quos & Suarez eſt de ſuffrag. diſp. 48. ſect. 8. §. 15. dicunt teſtatorem ſuorũ ſuffragiorum non conſequi fructum, niſi reſtitutus in gratiam confirmauerit hoc quod teſtamento pro anima ſua legauerat, ſuffragium enim quod non procedit ex voluntate hominis exiſtentis in gratia Dei, efficaciam non habet ſatisfaciendi pro peccatis.

In non-

In nonnullis suffragijs dubium est, quisnam eorum sit author siue principalis causa, v.g. Est aliquis qui alium ieiunare faciat, siue recitare 7. psalmos pœnitentiales pro defunctis, vter eorum est causa principalis, ipsene qui orat ac ieiunat, an verò qui alium orare ac ieiunare facit? Soto in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 2. contra Paludanum asserit, ipsum ieiunantem principalem esse authorem, non autem qui alium ieiunare facit. Idem intelligendum est de Oratione. Non enim is ieiunare dicitur, qui alium ieiunare facit, sicut verè eleemosynam dare dicitur, qui de suo largitur, quanquam idipsum alio mediante fiat. Quamobrem eū in statu gratiæ esse necesse est, alioquin enim suffragia illius animas in Purgatorio iuuare non possunt.

Aliud hîc dubium incidit, an nimirum suffragia communia; quæ nomine Ecclesię ab eiusdem ministris peccatis mortalibus obnoxijs præstantur, defunctis etiam opitulentur? S. Thomas in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 1, q. 2, Soto quæst. 2. art. 1. & Nauarrus de orat. cap. 19. concl. 4. num. 58. & ca. 20. num. 39. existimant in hoc casu fructum & effectum suffragiorum pro defunctis ministrorum peccatis non impediri, nam istum effectum Nauarrus dicit procedere *ex opere operato ex institutione Christi, vel Ecclesiæ.* Suarez

arez de suffrag. disp. 48. §. *Duo*, distinctionem ponit eiusmodi. Suffragium orationis valet quidem ad impetrandum à Deo id quod petimus, quanquam ministri peccatis mortalibus sint obnoxij, non verò ad satisfaciendum, nam postulans principalis est Ecclesia, quæ Deō semper grata est; idem autem suffragium ad solutionem & satisfactionem pœnæ Purgatorij, si à ministris fiat mortali peccato obstrictis, non valet, etiamsi fiat in nomine Ecclesiæ. Ratio est, quia nullum opus est satisfactorium, quin idem etiam sit pœnale, iam verò vt opus aliquod pœnale sit, necesse est ab ea habeat persona quæ patitur, cuique suffragiorum labor ac onus incumbit: quòd si ergò talis minister inimicus Dei sit, quia peccato mortali oneratus, non erit opus illius Deo gratum, & consequenter non habebit vim satisfaciendi nec pro viuis, nec pro mortuis. Quare omnia suffragia ac opera satisfactoria, quæ fiunt per ministros malos, *etiā nomine Ecclesiæ*, valent quidem ad impetrādum aliquid, non autem ad satisfaciendū, sacrificio Missæ & Sacramentis exceptis, quæ satisfactoria sunt. Ex opere operato: oratio porrò, ieiunia, & similia, operantur: Ex opere operantis.

Quintò, suffragia defunctis non prosunt nisi realiter mandentur executioni, v. g. Relinquit

linquit aliquis 20. vel 100 coronatos in eleemosynam pro anima sua expēdendos, hęc eleemosyna animam iuuabit, quando realiter erit perducta in effectum, suffragia enim pro pœna satisfaciunt, quæ suffertur in Purgatorio, qui autem non soluit, non satisfacit. Hinc fit, vt si quis condemnatus ad Purgatorium ad 10. annnos Missarum suffragia ordinet, ac eleemosynas relinquat pro 9. annis sufficientes, si eleemosynæ illæ subitò mandentur executioni, anima illa vno tantùm anno in Purgatorio detinebitur: si verò quinto à morte ipsius anno soluantur, anima illa in Purgatorio manebit quinque annos; at si post decimum annum persoluantur, nihil omnino proderūt eleemosynæ istæ, iam enim satisfecit anima, per decennium Purgatorij tormenta sufferendo. Ex quo perspicuè videre & cognoscere licet quàm grauiter delinquant hæredes, & quicunque tandem quàm possunt citissimè eleemosynas & suffragia à morientibus instituta ac ordinata non exequuntur, nam ingenti dolore & iniuria miseras illas animas afficiunt, estque peccatū contra Charitatem simul ac Iustitiam, non enim tribuitur animabus istis in Purgatorio detentis quod de iure illis debetur, idq; maximo illarum damno. Quapropter animæ eorum, qui tanti peccati causa extitère,

in futura vita eiusdem peccati pœnas persoluent. Pulcherrimum huiusce rei exemplum legimus in historia Sancti Francisci parte 2. lib. 9. cap. 22. vbi de Fratre quodam eiusdem ordinis narratur, quòd in orando pro defunctis, prout regula ipsorum exigebat, perquam negligens fuerit ac remissus. Moritur dictus frater, & à morte cuidam confratrum suorum apparens, reuelauit quantas in Purgatorio negligentiæ suæ in orationibus pro defunctis persoluendis cõmissæ lueret pœnas, subiungens etiam se precibus, votis, ac sacrificijs fratrum pro liberatione & satisfactione sua oblatis nihil iuuari, eò quòd Deus animabus alijs in negligentiæ suæ pœnam illa applicuisset, vti scilicet æquum est eos; nullam ab alijs impetrare misericordiam, qui nullam animabus proximorum exhibuêre, iuxta illud Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Atque hinc videmus satiùs esse vnumquemq; facere in hac vita, quod post mortem ab alijs sibi fieri exoptet, præterquam enim quòd maiorem mereatur gloriam & satisfactionem, cohæredes etiam, aut quibuscunque rerum suarum curam reliquerit, à peccandi periculo liberabit.

Hîc dubium aliquod occurrit, an nimirum animæ defuncti prosit in Purgatorio, si fiat

si fiat restitutio illius quod defunctus debebat, item, an noceat si intermittatur? quæ difficultas inde oritur, quia animæ aliquæ apparentes à viuentibus restitutionem fieri flagitauêre, quam ipsæ perficere vel neglexerunt, vel nequiuerunt. S. Brigitta lib. 6. suarum reuelationum eousque animam in *Purgatorio* torqueri dicit, dum id quod debet restituatur. Soto in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. hoc modo ad prædictum dubium respondet: Si defunctus peccauit non faciendo restitutionem, procul dubio castigatur ob negligentiam, si verò non peccauit restitutionem omittendo, quia videlicet eã facere non potuit, æquum non est, vt ob id patiatur, nã vbi deest culpa, ibi nec est, pœna. At si possit fieri restitutio, & tamen hæredum negligentia omittatur, iam in illos recidet pœna, sicut & culpa. Ad apparitiones istas respondet Cardin. Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 16. sub finem. *Si* postulante anima restitutionem faciat hæres qui ad eandem obligatur, iam illa animæ petitio cedit in vtilitatem ipsius simul & hæredis; at si anima ab alio quopiam restitutionem fieri efflagitet, qui ad eandem faciendam non obligetur, si ipse eam præstet, erit instar eleemosynæ, atque ita etiam animabus alijs in *Purgatorio*, dummodo eis applicetur, prodesse potest.

Alterum

Alterum dubium est, an videlicet suffragia etiam prosint prǽstanti? Respōdeo principalem suffragiorum authorem (præsupposito quòd sit in statu gratiæ) magis iisdem iuuari quàm ipsas animas pro quibus suffragia illa fiunt: mortuis enim ad satisfactionem duntaxat & solutionem pœnæ tēporalis opitulantur; at hi à quibus suffragia ista proficiscūtur (nisi obstaculum aliquod fuerit) in hac vita gratiæ, in futura verò gloriæ augmentum promerentur. nam suffragia opera pia sunt ac meritoria, si in statu gratiæ sit qui ea præstat. Dico præterea suffragia etiam aliquādo satisfacere posse pro pœna quam debet is, qui ea præstat, tum scilicet quando animę pro quibus suffragia illa fiunt, eorundem non opus habent, aut non sunt capaces, iuxta illud Prophetæ Psal. 34. *Oratio mea in sinu meo conuertetur.* i. fructus orationis meæ si non alijs, at mihi saltem opitulabitur. Cæterum etiam certò credendum est animas illas, pro quibus elargimur eleemosynas, oramus, ieiunamus, aliaque id genus suffragia præstamus, vbi in Cælum euolarint, pro nobis vicissim intercedere, singularemque nostrarum rerum curam gerere, quæ etiam vtilitas haud spernenda ac contemnenda est ab his qui suffragijs suis defunctis opitulantur.

In huius rei cōfirmationem vnum tan-

tum-

tummodo adducam exemplum. Eusebius Sardiniæ *Dux* admodum deuotus erat ac liberalis in ferendis suffragijs pro animab⁹ in *Purgatorio* detentis, vnde factum est, vt vnam suarum ciuitatum deputaret officijs mortuorum, ordinans vt reditus ac prouẽtus omnes ex ciuitate illa quotannis prouenientes in suffragia defunctorum collocarentur, indeque ciuitas illa *Ciuitas Dei* dicta fuit. Accidit autem vt Eusebio bellum inferret Dux *Siciliæ* Ostorgius nomine, breuiq; tempore post prædicta ciuitate potiretur: Eusebius verò Dux, quanquam viribus inferior esset, audaci tamen ac forti animo ad recuperandam ciuitatem cum exercitu paucorũ militum properauit, cùmq; non ita procul à ciuitate castra metatus esset, nunciatur ipsi matutinali tempore ab excubitoribus exercitum visum esse quadraginta circiter millium, albis indutum vestibus, albis equis insidentem, albisque vtentem vexillis. Eusebius hoc nuncio perterritus, quatuor ad eos equites ceu caduceatores mittit quæsitum, quinam & vnde essent? quibus contrà quatuor ex candidato Dei exercitu obuiam processerunt, respondentes se ex Summi Regis esse familia, Duciq; Eusebio venisse in auxilium. Quare Eusebius incredibili lætitia affectus, copijs suis cum ingenti exercitu illo coniunctis,

inimico suo Ostorgio obuiã profectus est, qui cùm videret exercitum tam generoso milite instructum totus consternatus ac albo isto militũ vestitu perterritus, per quosdam suorum militum, quinam essent & quæ causa aduentus eorum inquisiuit. Qui responderunt: Ex familia Dei sumus, & ad castigandum Ducem Ostorgium venimus, quia Ciuitatē Deo donatã inuadere haudquaquam veritus fuit. Ostorgius perterritus pacem rogat, quam vt obtinuit, continuò ciuitatem restituit, omniaque damna ditionibus Eusebij illata dupliciter resarciuit. Eusebius interim candidato exercitui isti pro præstitis sibi beneficijs maximas egit gratias, cui eiusdem exercitus Princeps inquit: Scias S. Eusebi omnes hosce milites animas esse tuis suffragijs ex Purgatorio liberatas, quas tibi in auxilium misit Deus: perge ac persiste in deuotione tua erga animas in Purgatorio detentas, nam quot ex Purgatorij pœnis liberabis, tot in Paradiso intercessores habebis. Omnia hæc ex reuerendi & sancti cuiusdam Abbatis relatione habentur, qui duorum horum Ducum bello ipse interfuit, atque à militibus interceptus est, dum ibidem sui ordinis Monasteria visitaret. Reperitur autem exemplum hoc dist. 9. exemp. 184.

Sunt alij qui pro animabus defunctorum

orare,

orare, aliaque præstare suffragia intermittunt, eò quòd animas ijsdem non indigere arbitrentur. Verùm non ita benè faciunt, quemadmodum in Chronica S. Francisci par. 2. lib. 4. cap. 7. legimus de Fratre quodam mortuo cuius vita angelica potius quàm humana fuisse putabatur. Nam cùm ijsdem monasterij Lector tres Missas pro defunctis legi solitas pro ipso non legeret, quasi ijsdem non indigeret, quadam vice defunctus ille Lectori apparens de tribus Missis pro se legendis eum admonuit, quippe qui ad Purgatorium condemnatus summopere ijsdem indigebat, subiungensque pœnas quas pateretur, dixit: Nemo facilè credat quam strictum sit Dei Iudicium, quantoque rigore peccata castiget. Quocirca bonum semper fuerit alijs applicare suffragia, si fortè is, cui principaliter applicantur, ijsdem non opus habeat. Item lib. 1. Chronicorum S. Dominici ca. 27. historia extat de Prouinciali quodam Bertrando, qui cum singulis diebus vberrimè lachrymando celebraret, nunquam tamen pro mortuis sed pro viuis celebrabat: causam verò huiusce rei inquirentibus respondit, dicens: Animæ in Purgatorio existentes de Cælo & salute sua securæ sunt, viuentes autem adhuc in terris continuò in perditionis seu damnationis periculo

ver-

verſantur. Sequenti igitur nocte apparuit illi defunctus quidam manu ſua loculum tenens, quo mortem ipſi videbatur minitari, ex quo tantum concepit terrorem, vt reliquum, quod ſupererat vitæ tempus, totum in mortuorum ſuffragia & officia impēderet. Moritur & tandem ipſe vita ſanctiſſimè peracta, fuitque corpus eius repertum integrum & incorruptum 23. annis poſt mortē elapſis. Reliquū nunc eſt, vt de indulgentijs quæ conceduntur defunctis nonnihil diſſeramus. Primò, certum eſt indulgentijs animas in Purgatorio commorantes poſſe adiuuari, quod ſi quis pertinaciter negare velit, hæreticus dicendus eſt quanquā indulgentiæ quæ conceduntur viuis, animabus in Purgatorio exiſtentibus non opitulentur niſi in ipſa conceſſionis forma expreſsè adiungatur ijſdem indulgentijs etiam defunctos adiuuari poſſe.

Secundò, duobus modis concedi poſſunt indulgentiæ, ſemel per modum abſolutionis, deinde per modum ſuffragij. Primus viuentibus, ſecūdus verò defunctis conuenit, v.g. Indulgentia, quæ per modū abſolutionis conceditur, nihil eſt aliud quā directa & immediata cuiuſpiam liberatio à pœna, quæ locum habere poteſt in viuis, ijs videlicet qui Papæ omnino ſubiecti ſunt. Indulgentiā verò per modum ſuffragij con-

cedere, nihil aliud eſt quàm mediatè aliquē liberare à pœna, quatenus videlicet conceditur nobis ſatisfactionē noſtram alijs applicare, qua mediante defunctus quiſpiam à pœnis Purgatorij expediatur. Et quemadmodum particularem ſeu priuatam aliquā ſatisfactionem ſiue ſuffragiū applicare poſſum, certo cuidam ac determinato defuncto: ita eidem etiam eandem poſſum applicare indulgentiam, quæ nihil aliud eſt quā ſuffragium ſeu ſatisfactio aliqua mihi à Sūmo Pontifice ex communi Eccleſiæ theſauro conceſſa. Et hæc doctrina eſt S. Thomæ in 4. diſt. 20. Alij dicunt Indulgentiam per modum ſuffragij concedere, nihil aliud eſſe, quā defuncto cuipiā bonum aliquod opus applicare, quòd ad Indulgentiā acquirendā ſit neceſſarium, v. g. ad acquirendam Indulgentiam plenariam, aut mille annorum ex præſcripto Pōtificis talem vel talem Eccleſiam viſitare neceſſe eſt, atque hæc etiam indulgentia pro mortuis poteſt acquiri: cū enim mortui Eccleſiam iſtam viſitare nequeant, ideò concedit Pontifex, vt, ſi ego Eccleſiam illam viſitem, anima aliqua in Purgatorio detenta, fructum conſequatur indulgentiæ iſtius plenariæ, ſiue mille annorum, idque per actionem meam iſti animæ applicatam. Atque hoc eſt dare indulgentiam, per modum ſuffragij ſiue auxilij,

nam

nam mortui adiuti à viuentibus, bona illa opera ipſis applicantibus eiuſmodi indulgentias lucrantur.

Quæret hîc quiſpiam, an animæ, quæ in Purgatorio ſunt, certò & infallibiliter indulgentiarum iſtarum per modum ſuffragij conceſſarum fructum conſequantur? Reſpondeo quod ſic: ratio eſt, quia Chriſti, Sanctorumque merita & ſatisfactiones dãtur in compenſationem pœnarum ac tormentorum Purgatorij, quæ valoris & efficaciæ ſunt infinitæ: deinde etiam diuinam habemus promiſſionem: *Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Ergo Deus infallibiliter eiuſmodi indulgentias gratas habet & acceptas, tam ſcilicet eas quæ pro viuis quàm pro defunctis conceduntur. Vndè cùm hic ſit vniuerſalis totius Eccleſiæ conſenſus ac ſenſus, grauiſſimum committet errorem quiſquis indulgentias animabus in Purgatorio exiſtentibus, per modum ſuffragij cõceſſas, dubias eſſe dixerit & incertas.

Tertiò, Conditiones quæ requiruntur, vt indulgentiæ animabus in Purgatorio detẽtis opitulentur, ſunt hæ. Primò neceſſarium eſt, vt, qui indulgentiam pro mortuis velit acquirere, voluntatem & intentionem habeat eiuſmodi indulgentiam pro certo

aliquo ac determinato defuncto acquirendi: si enim non applicetur indulgentia, non erit sufficiens ad iuuandum. Altera cōditio est, vt opus illud impositū ab eo, qui indulgentiam concedit, omnino ac perfectè adimpleat: nam si pars eius duntaxat perficiatur, optatum non sortietur effectum. v. g. si ad acquirendam aliquam indulgentiam *Pōtifex* iniunxerit Confessionem & Communionem, non satisfacit is qui solùm cōfitetur. Quæritur an qui pro mortuis acquirit indulgentiam necessariò in statu gratiæ esse debeat tum quando opus illud à Pontifice ad eiusmodi indulgentiam acquirendā iniunctum exequitur? Respondeo id nō esse necessarium. Ratio est, quia si *Pontifex* expressè non commendauerit, vt opus illud perficiatur ab aliquo in statu gratiæ constituto, etiam non erit necessarium, sed sufficiet, si illud ipsum opus duntaxat, in effectum perducatur. Præterea, status gratiæ requiritur in illo, qui effectum recipit indulgentiarum, eæ verò sunt animæ in *Purgatorio* detentæ, quæ (vt suprà dictum est) sūt in statu gratiæ. Deinde effectus indulgentiarum non ex merito dependet facientis opera illa, sed ex valore satisfactionum Christi & Sanctorum; atque ideò animæ à *Purgatorij* pœnis liberari possunt, etiamsi is, qui facit opera illa, sit in peccato, quemadmodum

modum Sacerdos aliquis, etsi peccatis obnoxius sit, nihilominus tamen remissionē obtinere potest peccatorum, non quidem pro se, sed pro alijs, quippe cùm iste effectus non à sacerdote, sed à Sacramento altaris dependeat. Et hæc doctrina est S. Thomæ, Richardi, Gabrielis, Cordubensis, & aliorū, quos citat Suarez de Indulgentijs disp. 53. sect. 4. §. *Primum in fine.*

DE QVARTO RECEPTACVLO Animarum, siue de Limbo puerorum.

CAPVT XXIX.

PRo animabus puerorum, qui ex hac vita absq; Baptismatis lauacro decedunt, nullo peccato actuali contaminati, sed maculam duntaxat habentes peccati originalis, est quidā certus locus in altera vita Limbus puerorum nuncupatus, eorum scilicet, quibus non patet ianua regni cælestis, iuxta illud S. Ioannis cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnū Dei.* Si ergo animæ illorum non intrant in regnum cælorum, quia baptizati non sunt, neq; in Infernum aut Purgatorium, quia nullum admiserūt actuale peccatū, propter quod pœnam aliquam mereantur, quippe cùm ante vsum rationis ex hac vita decesserint, quo tempore ob liberi arbitrij defectū,

nullo personali peccato contaminari potuerunt, necessariò alius quispiam constituendus est locus ipsorum statui conueniens, qui Limbus dicitur puerorum , estque in visceribus terræ; contiguus Purgatorio. Et qui Limbus propriè dicitur pars vestis imos pedes contingens, hinc est quòd Limbum credimus esse locum illum qui Purgatoriū, siue Infernum ambit , vti suprà declarauimus Cap. 8. sub finem.

Limbum hunc partem esse Inferni ex Concilio Florentino facilè colligere est in decreto de vnione sess. vlt. vbi dicitur: *Illorum animæ, qui in actuali, mortali, vel solo originali peccato decedunt, mox in Infernum descēdunt, pœnis tamen disparibus puniendæ.* Idem affirmat S. Augustinus de Baptismo paruulorum lib. 1. cap. 28. Itemque Scholastici Theologi in 4. sentent. dist. 45. & cum his Innocencius III. in cap. *Maiores extra* , de Baptismo.

Quomodo verò animæ puerorum , simulatque è corporibus decedunt, sciant se ad Limbum esse condemnatas , dictum est superius Cap. 9. eas nimirum intelligere illud in particulari iudicio quod de ipsis fit, simulatq; ex hac vita emigrant. Item Cap. 10. docuimus admodum probabile esse ab ipsis Dæmonibus eò deduci: cùm enim pueri isti ob labem ex originali peccato contractam

tractam filij irę sint, inimici Dei. & ad Limbum ceu ad carcerem quendã condemnati, perquam verisimile videtur eorum animas ab ipsis Dæmonibus diuinæ scilicet iustitiæ ministris ad Limbum perduci.

DE STATV ANIMARVM *puerorum in Limbo.*

CAPVT XXX.

STatus in quo sunt animæ puerorum in Limbo existentium hic est. Primò, in perpetuum beatifica Dei visione priuati sunt, secundùm sententiam à Christo Domino datam apud S. Ioannem: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Atque hoc axioma est fidei nostræ ab vniuersa Ecclesia approbatum.

Hîc dubium quoddam occurrit, an scilicet animæ in Limbo pœnam sensus patiantur nec ne? Aliqui dubitauêre. at Fulgentius lib. de Fide ca. 27. dicit omnes istos pueros, qui vel in vtero matris, vel nati iam absque Baptismatis lauacro moriuntur, æternis ignibus excruciari. S. Augustinus serm. 14. de verbis Apostoli dicit pueros nõ baptizatos ire in ignem æternum, iuxta sententiam Christi apud S Matth. cap. 25. Gregorius de Valentia tom. 2. disp. 6. qu. 17. pun. 4. ait duos illos citatos authores per ignẽ intelligere pœnà damni quæ certo quodã modo cruciat & affligit, idque hinc vel maximè

patet, quia S. Augustinus lib.3.de libe. arbitrio ca. 23 dicit pueros istos nec præmia cõsecuturos nec supplicia. Et qu.9.in Iosue, dicit per ignem quamuis aliam pœnã intelligi posse. Vt vt sit, communis magisq; approbata sententia est, animas puerorum in Limbo damni duntaxat pœnam pati, non autem sensus. In hac sententia est Magister sent.in 2.dist.33. S. Thomas, & complures alij in eundem locum. Eandem etiam opinionem tuentur S. Gregorius Nazianzenus orat. in S. Lauacrum, S. Ambros. in 2. lib. de Abraham c. vlt. Innocentius III. cap. *Maiores*, de Baptismo & eius effectu. Deinde etiã S. Script. maximè cõformis est hæc opinio, quę pœnam sensus peccatis attribuit personalibus, sicuti videre est in Apocal. cap. 18. vbi dicitur: *Quantũ glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum.* id est, pœna sensus conformis sit commissis peccatis. Demum congruens etiam est eas animas, quæ ex propria voluntate ad creaturas sese non conuerterunt contra voluntatem Creatoris, nequaquam puniri pœna sensus, quę pœna principaliter respondet inordinatæ conuersioni ad creaturas.

Quæret aliquis, animæ puerorum percipiuntne dolorem aliquem aut afflictionẽ ex priuatione beatificę visionis Dei? Gregorius de Valentia in locum citatum inquit;

Etsi

Etsi à Deo nulla determinata sit pœna aduersus peccatum originale; nihilominus tamen animæ istorum puerorū videntes beatitudinem se consequi potuisse, qua nunc orbatę sunt, sentiunt dolorem aliquem, qui tamen non adeò grauis est & intolerabilis eò quòd cognoscant se beatitudinem istam propria culpa non perdidisse. Eiusdem etiã opinionis videtur esse Magister sententiarū lib. 2. dist. 33. & S. Augustinus contra Iulianum lib. 6. cap. 4 dicit pueros non baptizatos maximi mali loco habituros, quòd à regno Dei sint exclusi. S. Thomas verò & alij in dist. illam 33. existimant istos pueros nullum omnino habituros dolorem, illud autē quod S. Augustinus dicit, intelligi posse de pœna damni significata per ignem, præsertim cùm idē Augustinus quæst. 9. in Iosue, per ignem quamlibet aliam pœnam dicat posse intelligi, quemadmodum paulò antè dictum est.

Secundò quæritur, an viuentium suffragia iuuare possint animas ad Limbum condemnatas? Respondeo, quod non possint: ratio est, quia cùm Charitas, quæ communionem efficit Sanctorum, fundamentum seu radix sit fructuum, qui ex suffragijs percipiuntur, pueri autem in Limbo existentes filij sint iræ, Charitate destituti, & certo quodam modo inimici Dei, suumque iam

finem cõſecuti cum Eccleſiæ membris amplius non communicent, hinc fit quòd eorum animæ participare nequeant de fructu ſuffragiorum, quę à reliquis Eccleſiæ membris præſtantur ad ſatisfactionem pœnę tẽporalis, quam perſoluere tenentur animæ in Purgatorio commorantes, quæ membra Chriſti ſunt in Charitate, neque adhuc ad vltimum ſuum finem peruenerunt. Adde quòd non ſit temporalis pœna animarum in Limbo exiſtentium

Tertiò quæritur, an eiuſmodi animæ aliquando de receptaculo ſuo egrediãtur? Reſpondeo eas non egredi. Nam neque in S. Scriptura, neque apud SS. Patres (quod quidem ego ſciam) vllo in loco reperitur factam eſſe apparitionem animarum ex Limbo puerorum prodeuntium, vti ex alijs iſtis receptaculis nonnunquam apparuiſſe legimus. De reliquis porrò rebus quę tractatum hunc de pueris concernunt, quid nimirum poſt vniuerſale iudicium de illis futurum ſit, quando animæ eorum cum corporibus coniungentur ac vnientur, in Secunda Parte agemus Cap. vltimo.

FINIS PARTIS I.

R. P.

R. P.

LVCAE PINELLI,

SOCIETATIS IESV,

DE ALTERA VITA, ET ANIMARUM IN EA STATU,

LIBER SECVNDVS.

IN QVO DE FINE MVNDI, AC de statu singulorum, qui futurus est post Animarum cum corporibus vnionem; agitur.

QVAM DIV HIC MVNDVS duraturus sit.

CAPVT I.



VETERVM quorundam, qui Millenarij dicti sunt, opinio fit, Mundum sex millia annorum duraturum, in qua etiam sententia Lactantius fuit libr. 7. diuinarum Instit. cap. 14. & Iustinus Martyr in quaestionibus ad Gentes, quaest. 71. Irenaeus, Hilarius, & plures alij, quanquam Lactantius etiam post sex illa annorum millia, alios mille annos annorum felicitatis pro Sanctis in hac vita futura existimet. Horum authorum opinio hac nititur coniectura,

quia ſcilicet Mundus ſex dierum ſpatio cō-ditus fuit, ac deinde Sabbathum ſubſecutū, quod eſt quies. Iam verò mille anni apud Deum ſunt inſtar vnius diei, dicente Pſalmiſta Pſal. 83. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quæ præterijt.* Mundus igitur ſex millia annorum duraturus eſt, poſt hæc ſequetur quies Sabbathi, quæ felicitas illa terrena erit, quæ durabit alios mille annos. Et dicit. Lactantius eo loco hanc communem opinionē fuiſſe Gentilium, Sybillarum etiam vaticinijs confirmatam.

Licet autem hæc opinio incerta ſit, nulliſque innitatur fundamentis; tamē hoc tē-pore iuxta verum Hebræorum computum eam falſam eſſe demonſtrari non poteſt. Etenim Mundus ante Chriſti natiuitatē ſtetit quatuor annorum millibus, iamque ab illo tempore mille & ſexcenti anni effluxêre: reſtant ergo ad complēda ſex iſta annorum millia anni circiter quadringenti quibus Mundus adhuc iuxta dictorum authorū ſententiam eſt duraturus. In his autem quadringentis annis adimpleri poſſunt omnia illa ſigna quæ Iudicium extremum ac conſummationem Mundi ſunt præceſſura, nec non quicquid in ſacris literis prædictū fuiſſe reperitur. Probari igitur nequit hanc opinionem falſam eſſe: nam fieri poteſt vt pereat Mundus finitis ſex iſtis annorum mil-

libus. Et hæc quidem Hebræorũ circa Mundi creationem sententia est à Theologis recepta & approbata: at secundum computũ septuaginta interpretum illa Lactantij opinio falsa esse conuincitur, iuxta illos enim iam elapsi sunt anni 6100. à creatione Mundi, qui tamen & iamnum perdurat.

Veruntamen hæc opinio (sicut paulò antè insinuauimus) falsa est, & omni fundamento destituta. Primò, quia non rectè sequitur: Mundus creatus fuit spatio sex dierum, ergo durabit sex millia annorũ, quia scilicet Dauid ante oculos Dei mille annos dicit esse instar vnius diei. Illud enim à Dauide Propheta dictum fuit, vt æternitatem ac stabilitatem Dei significaret. Deinde per istos sex dies intelligi possunt sex Mundi ætates, adeò, vt hoc fundamentum non subsistat. *Præterea* certum est Mundum cessaturum ac periturum, quando videlicet Christus veniet ad vniuersale iudicium: atque tempus huiusce aduentus ignoratur, ergo etiam multò minus sciri potest quando huius Mundi finis affuturus sit. Vnde Christus in actis Apost. cap. 1. inquit *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Ergo si ex volũtate Dei illud dependet, neque in sacris literis nobis est reuelatũ certò sciri nullo modo potest. Adhæc, tum finietur Mundus, quando E-

lectorum numerus fuerit adimpletus: at illud tempus soli Deo cognitum est, ergo incertum, vtrum Mundus sex millibus tãtùm annorum duraturus sit, vti ipsi affirmant.

Quærat aliquis, an secundùm coniecturas quæ habentur, Mundi finis propinquus aut vicinus sit, an verò adhuc longè remotus? Hac de re copiosè scripsit VVilhelmus Lect. 6, in lib. sex dierum, vbi varias Theologorum adducit opiniones, quorum nõnullli Mundi finem adhuc quàm longissimè abesse asseruerunt, quia nimirum octaua sphæra prius integrum suum debet absoluere circulum, ad quod plurimorum annorum spacium requiritur. Verùm hæc ratio non constat, motus enim cæli ordinatus est ad Mundum eiusque generationem, non autem contrà pro sphæris ac motibus cæli Mundus creatus est. Quare fieri potest vt finiatur Mundus licet vltima sphæra nõdum absoluerit circulum suum.

Alij existimârunt Mundum tanto tempore post Christum duraturum, quanto tẽpore durauit ante eius aduentum, ac secundùm hos Mundus duraturus esset octo millia annorum, quæ coniectura leuis etiam est & parui momenti. Alijs porrò Mundum breui finem habiturum affirmauêre, eò quòd signa Iudicium extremum antecedentia indies magis magisq; adimpleri videamus,

deamus, vt prædicationem Euangelij per vniuersum Mundum, bella, seditiones, deprauatos mores, & similia. Sed neque hinc manifestum euadit, eò quòd remota hæc signa sint, quippe quæ omni tempore in Ecclesia Christi fuisse conspicimus: deinde etiam indies videmus nouas inueniri regiones; in quibus hactenus nunquam prędicatum fuerit Euangelium (veluti suo loco dicemus quādo de signis Iudicij extremi tractabimus) neque scire possumus, quot adhuc supersint regiones in quibus prędicandum sit Euangelium. Præterea nullus est qui saltem ex probabili aliqua coniectura scire possit, quàm multi adhuc ad complendum prædestinatorum numerum desiderentur, atque hinc multò minus certi quippiā de Mundi fine propinquo siue remoto poterit conijcere, quippe cum Mundi duratio ex numero dependeat Electorum. Quapropter qui non sufficientem coniecturam habet de numero prædestinatorum, is quoque nec affirmare poterit vtrum Mundus longo an verò breui tempore sit duraturus.

(∴)

AN NECESSARIO FVTVRVM sit vniuersale Iudicium.

CAPVT II.

HAEretici quidam Albani (affirmante Guid. Carmelita) asseruêre iā adimpletum esse Iudicium vniuersale, neque aliud iudicium futurum. Alij porrò, vti docent S. Hilarius, & S. Augustinus lib. de Agone Christiano, omnino vniuersale iudicium futurum esse negauerunt, propter, illa verba Christi Ioann. 3. *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est.* hinc illi inferebant aliud nullum futurū iudicium: qui enim credunt in Christū non iudicabuntur, qui verò non credunt, iam iudicati sunt. Itaque cùm nulli restent iudicandi, aliud nullum futurum est iudicium.

Veritas autem Catholica, quam in Symbolo Apostolico confitemur, tanquam fidei articulum firmiter nobis proponit credendum futurum vniuersale iudicium, in quo iudicabitur totum genus humanum. Idem etiam in sacris literis expressum habemus, veluti apud S. Matthæum: cap. 11. *Dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die Iudicij.* Et cap. 12. *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista.* Item S. Petrus in secūda canonica sua cap. 3. de improbis dicit: *Igni reseruati*

reseruati in diem iudicij & perditionis impiorum hominum. Atque ita necessariò extremum iudicium futurum est. Ad authoritatem verò S. *Ioannis* respondemus, omnes quidem iudicatos esse apud Deum, sed tamen necdum præmia recepisse vel pœnam, neque adhuc promulgatam esse sententiam, quòd futurum est in die extremi iudicij.

Porrò, quare vniuersale futurum sit Iudicium, multæ sunt causæ & rationes. *Pri-mò*, vt manifestetur iustitia, qua Deus vtitur in remunerandis operibus bonis ac puniendis malis, illud namque cedet in eius gloriam, iuxta illud Prophetæ: Psal. 9. *Cognoscetur Dominus iudicia faciens.* Et in Apocalypsi cap. 15. dicitur: *Omnes gentes venient & adorabunt in conspectu tuo quoniam iudicia tua manifesta sunt.* Secundò, cũ diuina prouidentia extendat sese non solùm ad singulos homines, sed etiam ad totum vniuersũ, æquum pariter est, vt eandem demonstret non tantùm in particularibus singulorum operibus (quod fit in iudicio particulari) verumetiã in gubernatione totius vniuersi, quod fiet in iudicio vniuersali. Tertiò, requirit iustitia vt opera bona laudentur, mala verò reprehendantur, quod in particulari iudicio fieri nequit, in quo nec laus nec vituperium publicum est, fiet ergo illud in iudicio vniuersali, in conspectu scilicet õ-

nium

nium Angelorũ ac totius generis humanę. Vnde S. Paulus 1. Cor. 4. adhortatur nos, ne iudicemus ante tempus, sed vt aduentũ Domini præstolemur, *qui illuminabit abscondita tenebrarum, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Quartò, certum est humana iudicia nunquam errare, falli, ac decipi, vtpote quæ subinde fiant secundùm apparentiam externam, vnde fit vt lupi sæpissimè habeantur pro agnis, agni verò contrà lupi esse existimentur. Necessarium igitur est vnum aliquod iudicium esse in quo singuli prout sunt, ac secundùm veritatem iudicentur, *vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit* 2. Cor. 5. Quintò, in hac vita, sicut rectè dicit S. Chrysostomus lib. 1. de Prouid. & hom. 46. ad populum, impijs & iniquis subinde omnia prosperè succedere, iustos autem affligi; quod bonæ gubernationi ac prouidentiæ diuinæ videtur esse contrarium. Conueniens ergo est, vt Deus coram vniuerso Mundo demonstret, quam ob causam peccatoribus tantam concesserit prosperitatem, iustos autem opprimi & affligi permiserit. Et hoc fiet in Iudicio vniuersali.

Iam verò vniuersale illud iudicium in fine Mundi futurum S. Thomas 3. par. qu. 59. art. 5. sequenti ratione demonstrat. Opera

pera (inquit) hominum bifariam conside-
rari possunt, primò quatenus per se bona
sunt vel mala, atque hoc modo iudicantur
in iudicio particulari; Secundò, considerā-
tur, quatenus respectum habent in alios,
quibus ijsdem vel commodatum, vel incō-
modatum est, atque ita opera nostra non fi-
niuntur vnà cum morte, sed in perpetuum
durant, verbi gratia, Apostolorum prædi-
catio Euangelij non cœpit finem vnà cum
morte eorum, sed in hodiernum vsque di-
em etiam fructus edit vberrimos, similiter
etiam Lutheri hæresis multis etiamnum
non parum affert detrimenti. Atque hinc
necesse est, vt ad finem vsque Mundi Iudi-
cium differatur, quando videlicet cessanti-
bus omnibus operibus de bonis simul ac
malis feretur iudicium, vnde boni ac iu-
sti gaudium percipient ex fructu suorum
bonorum operum, iniqui verò confunden-
tur, videntes quantis malis deprauata sua
vita, causam & occasionem præbuerint,
quorum iustissimam simul ac plenissimam
in extremo iudicio consequentur retribu-
tionem, quemadmodum & iusti bonorum
suorum operum remunerationem adipi-
scentur.

Adhæc non sola anima est quæ operatur
siue benè siue malè, sed totum illud ex ani-
ma & corpore compositum. Ergo non suf-
ficit

ficit ſolam animam iudicare, ſed totum illud compoſitum iudicari neceſſe eſt, quod fieri omnino nequit ante vniuerſalem corporum reſurrectionem, quæ futura eſt ſub finem Mundi.

Vtilitas porrò futuri iudicij maxima eſt, nam homines in officio continet, retrahẽs ac refrenans iniquos ab operibus malis, bonos verò inſtigans ad benè operandum, potiſſimum autem ad miſericordiæ opera exercenda, quæ in illa die ſingulari quodam modo extollẽtur ac remunerabuntur. Quare Clemens Papa inquit: *Quis peccare poterit ſi ſemper ante oculos ſuos Dei iudicium ponat, quod in fine Mundi certum eſt agitandum?* Et S. Gregorius lib. 6. Moral. cap. 2. de hoc Iudicio loquens ſuper illa verba Iob: *A flagello linguæ abſconderis*, flagellum, inquit, illud linguæ erit illa Iudicis ſententia, à qua abſcondentur ac protegentur quicunque in hac vita iudicij timorem habuerunt. Vnde idem Gregorius concludit dicens: *Viuentes ergo timeant Iudicem, ne morientes timeant accuſatorem, iuſtis namque initium retributionis eſt ipſa plerumque in obitu ſecuritas mentis.*

DE

DE HIS QVAE PRAECEDENT Reſurrectionem & vniuerſale Iudicium.

CAPVT III.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ſermone illo, quem habuit ad diſcipulos ſuos ſedens in Monte Oliueti, prædixit & explicuit ſigna Iudicium ac conſummationem huius ſæculi præceſſura, Occaſio huiuſce ſermonis hæc fuit, iuxta verba S. Matthæi cap. 24. Cum egreſſus eſſet Ieſus de templo, dixerunt ei diſcipuli: vides Domine quàm ſtupendum ædificium & quàm admirabile ſit hoc templum? ipſe autem reſpondens dixit illis: *Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur.* quaſi diceret: Non multum temporis elabetur, & immenſa hæc machina ita deſtruetur, vt non relinquatur petra ſuper petram. Cum autem ſederet ſuper montem Oliueti accedentes ad eum diſcipuli, tria potiſſimum ſecretò interrogauerunt. Primò, quando nimirum futura eſſet hęc ruina templi & deſtructio ciuitatis Hieruſalem?

Secundò, quæ ſigna præceſſura ſint aduentum ipſius ad Iudicium?

Tertiò denique, quod ſignum conſum-

mationis seculi futurum? Ad quæ tria Dominus respondit, vti videre est apud Sanctum Matthæum cap. 24. S. Marcum cap. 13. & Sanctum Lucam cap. 21. vbi direptio & ruina ciuitatis Ierosolymitanæ luculenter satis describitur.

Pro cuius rei maiore declaratione sciendùm est, signorum, quæ iudicium præcessura sunt, alia esse remota, alia verò seculi huius consummationi esse proxima. Remota illa iam dudum visa sunt, atque etiamnum in Ecclesia Christi videntur. qualia sunt hæreses, tyrannorum persecutiones, bella seditiones, pestilentiæ, fames, terræmotus, signa in aëre, vt cometæ & similia. Hæc autẽ signa esse remota in eodem sermone Dominus noster insinuat, quando dicit apud S. Matthæum: *Videte ne turbemini, oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis.* Et apud Sanctum Lucam inquit: *Sed nondum satis finis* quasi dicat: venient signa ista, sed tamen non subito veniet finis Mundi Vnde S. Augustinus in epist. 80. ad Hesichium dicit, eiusmodi signorum semper aliqua in omni seculo visa fuisse, etsi dubium nullum sit tantò futura maiora ac frequentiora, quantò propius ad finem huius mundi appropinquabimus.

Sunt alia signa vicina & consummationi Mun-

ni Mundi proxima, de quibus Christus agit in eodem sermone. Primum est Euangelij per totum mundum prædicatio, dicente Sancto Matthæo: *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio.* Vbi per consummationem Sanctus Ambrosius lib. 10. in Lucam, Sanctus Hieronymus in Matth. cap. 24. & S. Augustinus Epist 80. huius seculi consummationem intelligunt.

Dicat aliquis, iam prædicatum est Euangelium ab Apostolis per totum mundũ attestante Sancto Paulo ad Romanos 10. cap. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et ad Colossenses cap. 1. de Euangelio inquit: *Quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso Mundo est, & fructificat & crescit.* Ad hoc respondet S. Augustinus in epist. illa citata, nec Apostolorum, nec suo tempore Euangelium per omnes Mundi partes fuisse manifestatum. Quod verissimum est: in Iaponia enim quẽadmodum & in multis alijs noui orbis partibus nostris temporibus prædicari seu promulgari Euãgelium cœpit. Quin & in Mexico ac Peru indies multæ regiones ac gentes inueniuntur, quibus necdũ prædicatũ est Euangeliũ. Ad authoritatẽ verò illã S. Pauli idem S. Augustinus respòdet Apostolũ isto loco locutũ fuisse instar Prophetæ & more

Prophetico, quo nimirum id quod futurum est propter certitudinem narratur, quasi iã præteritum sit. Atque ita etiam illud Apostoli est intelligendum, verba siquidem illa: *In omnem terram exiuit sonus eorum*, Dauidis sunt iam verò certum est tempore Dauidis nondum extitisse Euangelium, ad designãdam enim rerum futurarum certitudinem, loquitur de ijs tanquam iam factæ essent ac præteritæ. Simili modo & illud Psal. 21. *Foderunt manus meas & pedes meos*, intelligitur de Christo, qui tempore Dauidis necdum venerat, & tamen hæc verba sonant ac si iã passus esset Christus. Præterea etiam dici potest per totum Mundum, eiusdem partẽ principalem, & iam cognitam esse intelligendam, quemadmodum illud apud S. Lucam Cap. 2. *vt describeretur vniuersus orbis*. Vbi certum est, partem duntaxat eius descriptam fuisse, quanquam per synecdochen dicitur *Vniuersus orbis*. At non ita erit cum Euangelij prædicatione, quæ vniuersale iudicium præcedet: priusquam enim iudiciũ vniuersale veniat, Euangelium prædicabitur in omnibus partibus orbis ab hominibus habitatis Et hæc est expressa S. Augustini sententia in Epist. citata, & in serm. Domini in monte. lib. 2. cap. 10. item Origenis tract. 28 in Matthæum, Damasceni lib. 4. cap. 27. S. Thomæ in epist. ad Rom. cap. 10. lect. 3.

lect 3. nec non multorum aliorum. Verba autem illa Christi per synecdochen intelligi non posse manifestum est, nam mille & quingentis retro annis Euangelium iam in maiori parte orbis prædicatum est, & tamen nondũ aduenit iudicium, vnde perspicuum est ante extremum iudicium Euangelium in omnibus Mundi partibus prædicatum iri.

Quæres, in quem finem generalis hęc instituetur prædicatio? Respondeo, vt, cùm eam prædicationem generalem subsecutura sit crudelis illa Antichristi persecutio, ac deinde statim Iudicium extremum, nemo se possit excusare dicendo, quòd veritatis Euangelicæ nullam habuerit cognitionem. Adhæc vt in omnibus prouincijs fides Christiana recipiatur secundum prophetias ac promissiones, quibus promissum est Christo, fore vt à cunctis gentibus adoretur, vti ait Sophonias: Cap. 2. *Et adorabunt eum omnes insulæ gentium*: Item Psal. 71, dicitur: *Dominabitur à mari vsque ad mare*. Malachias etiam inquit cap. 1. *Ab ortu Solis vsq; ad occasum magnum est nomen in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*. Omnes hæ prophetiæ de Christo sunt, quas ante extremum iudiciũ adimpleri necesse est.

Alterum signum propinquum aduentus

erit Antichristi, & crudelissima eiusdem cōtra Ecclesiam persecutio, de qua Christus Dominus Matth. 24. loquens, ait: *Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi.* S. Paulus quoq; videns Thessalonicenses esse cōsternatos eò quòd extremum iudicium ac consummationem mundi instare arbitrarentur, à tali timore eos hortatur absistere, affirmans Christum Dominū non venturum ad iudicium, *nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis*, qui est Antichristus, cuius persecutio necessariò iudicium præcedat oportet. 2. Thess. 2.

Nonnulli etiam inter signa iudicij ac cōsummationis mūdi, Romani Imperij simul & vrbis destructionem collocant. Verùm de hac re SS. Patrum sentētia hæc est. Primò, Imperium Romanum ad finem vsque mūdi perduraturum.

Lactantius lib 7. capite 25. Romanum Imperium, vniuerso mundo deficiente, pariter defecturum affirmat. Idem testatur Tertulianus in Apocal. capit. 32. & ad Scapul cap. 2. Secundò, probabile est fore vt Imperium Romanum deficiat paulò ante aduentum Antichristi, quemadmodum asserit Sanctus Chrysostomus homil. 4. super epistola ad Thessalonicenses in hæc verba: *Tantum vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, &*

tunc

tunc reuelabitur ille iniquus, s. Antichristus. Cyrillus etiã dicit, *Veniet Antichristus cũ impleta fuerint tempora Romani Imperij*. Tertiò de ciuitate Romana videtur probabile eã etiã in statu suo permansurũ vsq; ad Antichristi aduentũ: nã cum illa vniuersalis Ecclesiæ caput sit, etiã durare necesse est, quãtũ scilicet duratura est Ecclesia vniuersalis, quæ absque capite suo nequit subsistere. Quartò, licet ciuitas Romana destruatur, ac Papa de sua sede exturbetur; nihilominus quocunq; tandẽ abiturus est, semper manebit Ecclesiæ caput, & Episcopus Romanus.

Reliqua porrò signa erũt cęlestia, apparebuntq; post persecutionẽ ac mortem Antichristi, dicẽte S. Matthæo: *Statim autẽ post tribulationem dierum illorũ Sol obscurabitur, & luna nõ dabit lumẽ suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorũ cõmouebũtur*. Atq; ita tria erũt signa cælestia. Primũ erit obscuratio Solis ac Lunæ, quę cõtingere potest varijs modis. primò si Deus Solẽ & Lunã priuet lumine suo, queẽadmodũ videtur velle dicere S. Thomas in supplemento, qu. 73. ar. 3. iuxta illud Apocal. ca. 6. *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus*. Secundò, obscuratio ista contingere poterit, vt nimirum Sol & luna lumen suum retineant, neque alteri cuiquam communicent, & hæc designatur per illa verba: *Et luna non dabit lumen*

suum. per quæ verba demõstratur eam quidem habituram lumen, sed alijs illud non communicaturam, Tertiò ita fieri poterit, vt scilicet inter nos ac corpora illa cælestia densa aliqua & obscura nebula interponatur. Et hunc modum magis approbat Soto dist. 46. quæst. 2. art. 2 Quod verò alij dicunt Christum ad iudicium venientem tantum sua præsentia importaturum splendorem, vt Solis ac Lunæ lumen apparere non possit, nullo modo potest subsistere, quippe cùm signa illa præcessura sint aduentum Christi ad iudicium. Si quæras quorsum futura sit tanta obscuratio; respondeo ad incutiendum terrorem hominibus.

Secundum signum cæleste erunt stellæ cadentes de Cælo. Sunt qui dicant futurum vt eo tempore multa è nubibus erumpant fulmina & sagittæ igniţe, quæ stellis similes esse videbuntur. Alij existimant fore, vt stellæ lumine & luminoso statu suo priuentur, id est obscurentur.

Tertium signum cæleste erit; *Virtutes cælorum commouebuntur*. Per has nonnulli Angelos intelligunt, qui miracula tam horrenda videntes obstupescent. S. Ambrosius lib. 10 super Lucã, & S. Augustinus in epist. citata, hæc verba mysticè interpretantur, per Solem nimirum & lunam Ecclesiam intelligentes, quæ in sacris literis subinde

Soli

Soli ac Lunæ comparatur, quę sub crudeli ista Antichristi persecutione non obscuratur, id est, vix apparebit, multi enim perdent lumen fidei. Præterea stellæ cadent de cælo & virtutes cælorum commouebūtur, id est, multi iusti turbabuntur ac per Antichristi fraudes recedēt à statu gratiæ. Quod duo isti SS. Patres id mysticè interpretantur, benè quidem faciunt, non tamen idcirco aliorum Theologorum, literalis expositio est reijcienda.

Alia porrò circa tempus Iudicij signa erūt in terra, in aëre, ac mari, de quibus tractat S. Lucas Cap. 21. cùm ait: *in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuū arescentibus hominibus præ timore.* Neque mirum hoc, nam sicut in omnibus alijs animalibus morti vicinis ex oculis simul & alijs membris mortis deprehendūtur indicia; ita etiam hic mundus vicinus cōsummationi eius signa dabit in sole & luna, quasi in oculis suis, & in elementis tanquā in membris suis, ideoque ex elemento ignis maximæ erumpent exhalationes, in aëre terribiles apparebunt cometæ, orientur fulgura, horrenda tonitrua audientur, in mari terribiles exurgent tempestates, mouebuntur fundamenta terræ, denique in hominibus *abūdabit iniquitas & refrigescet charitas multorum*, attestante S. Matthæo.

Theologi scholastici quindecim alia signa recensent, vt S. Thomas in 4. dist. 48. quæst. 1. art. 4. quæst. 4. Soto dist. 46. quest. 2. art. 1. quæ ex annalibus quibusdam apocryphis Iudæorum desumpta sunt, & ab Eusebio Emisseno in homil. Dominicæ 2. Aduentus explicata. Verùm quoniam autentica non sunt, neque apud S. Hieronymum reperiuntur, ea preterimus.

DE ANTICHRISTO EIVSque natiuitate.

CAPVT IV.

ANtichristus cōtrarium Christo significat, quo sensu licet Antichristi nuncupari possint, quicunque Christo contraria docent, iuxta illud S. Ioannis: *Nunc antichristi multi facti sunt* 1. Ioan. 2. nihilomnus tamen qua iudicium illud vniuersale præcedet, falsaque doctrina sua Christi fideles seducere attentabit, singulatim Antichristus nuncupatur; alij verò Antichristi dicuntur, quod similitudinem aliquam cum ipso habeant.

Quod autem ad hunc Christi aduersarium attinet, primò omnium natura eius & essentia occurrit inuestiganda, sitne videlicet homo futurus an non; Hippol. martyr in Orat. de consummatione mundi, Antichristum illum non verum hominem sed

diabo-

diabolum futurum existimat,qui in huma-
na & phantastica forma apparebit.Verùm
hæc sententia ab alijs reprobatur, quippe
quæ repugnet S.Paulo 2.Thess 2.qui Anti-
christum hominem futurum ac moriturum
esse affirmat: ergo verus homo futurus est,
diobolus enim non moritur. Alij eundem
& verum hominem & verum diabolum
per incarnationem futurum putant,quem-
admodum Christus verus Deus erat & ho-
mo.In hac sententia est Theodoretus in lib.
diuinorum decretorum,lib 5. cap. de Anti-
christo.Hæc quoque opinio falsa est & re-
futatur à S.Heronymo super Danielem cap.
7.S.Damascenus etiam de fide Orthodoxa
lib.4.cap.27. alijque Theologi opinionem
illam reijciunt: nam vt quis diuersam
naturam hypostaticè assumat, infinita vir-
tute opus esse existimant, qualem nec Dæ-
monia,nec vllæ aliæ terrestres creaturæ ha-
bent.Verè quidem Damascenus asserit,dia-
bolum in Antichristo habitaturum,sed hoc
tantum ad peruersitatem & malitiosam eius
voluntatem insinuandam. Dicit præterea
fore,vt Antichristus à diabolo gubernetur;
attamen non per vnionem hypostaticam.
S. Hieronymus etiam cap. 16. in Isaiam ea-
dem de causa diabolum Antichristi patrem
vocat, eò quòd vitam acturus sit planè dia-
bolicam.

Hæretici quidam per Antichristum non hominem vnum, sed multos tyrannos intelligendos esse dicunt, quorum vnus alteri in tyrannide succedet contra Ecclesiã Christi: at hoc nequit subsistere, cùm expressè habeamus in Daniele Antichristum regnaturum tribus annis & dimidio, iuxta SS. Patrum expositionem, ergo per Antichristum vnus homo definitus intelligitur & non multi.

Alij, sicut refert S. Augustinus lib. 20. de ciu. Dei, c. 19 asseruêre Neronem Antichristum futurum. Si quæras, cùm Nero iã diu defunctus fuerit, quomodo Ecclesiam persecuturus sit? respondent Neronem non esse mortuum, sed viuum alibi conseruari, vt suo tempore in medium prodeat, aut si mortuus sit, eum ad vitam denuò rediturum crudeliorem quàm vnquam aliàs fuerit, magisque Ecclesiam Christi persecuturum. Hæc opinio falsa est, nullisque innixa fundamentis, quam confutat S. Augustinus appellans eam præsumptionem, idque iusta de causa: qui enim fieri potest, vt Dominus Deus viuum conseruare aut à mortuis resuscitare voluerit eum qui tanta crudelitate Ecclesiam sponsam suam dilectam sit persecuturus?

Alij Mahometem Antichristum esse crediderunt, ita Clichtouæus narrat in Commen-

menratijs suis, & Sanctus Damascenus lib. 4. cap. 47. de fide orthodoxa. Hac autem nitebantur ratione, nempè quòd Mahomet tam in doctrina quàm in moribus Christo mirum in modum sese opposuerit. Verùm hæc ratio non valet, quia omnis hæreticus ac schismaticus doctrina pariter & moribus Christo contrarius est. Præterea Antichristus ille, de quo loquimur, nondum venit, vti affirmāt omnes SS. Patres & Theologi: Ergo Mahomet non est Antichristus qui venturus est paulò ante Iudicium vniuersale. Antichristus itaque homo erit, & quidē vnus ac definitus, hominum omnium totius mundi nequissimus, qui Ecclesiā summa crudelitate infestabit ac persequetur.

Secundò, quærendum occurrit, ex qua progenie & quo in loco nasciturus sit Antichristus? De Antichristi natiuitate SS. Patres ita scriptum reliquêre. B. Hieronymus in Danielem cap. 11. B. Anselmus in Elucidario, item author tractatus illius: de Antichristo, qui B. Augustino asscribitur, dicunt eum futurum natione Hebræum, oriundum ex Babylone. Lactantius lib. 7. cap. 17. asserit originem eius futuram ex Syria. S. Damascenus lib. 4. cap. 28. & S. Anselmus affirmant ipsum ex fornicatione nasciturum. Multi alij astruunt eum ex tribu Dan prouenturum propter prophetiam Patriarchæ

triarchæ Iacob dicẽtis: Gen. 49. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*. Ieremias quoq; Propheta capite 8. ait: *A Dan auditus est fremitus equorum eius*. Et propter hanc causam putatur etiam B. Ioannes in Apocalypsi sua capit. 7. in enumeratione tribuum Israel, solam tribum Dan reticuisse, odio videlicet Antichristi, quem ex illa tribu præuidebat nasciturum. In hac sententia fuére plurimi SS. Patrum quos citat Suarez in 3. part. tom. 2. disp. 54. sect. 2. & valentia de sig. Resur. & Iud. punct. 2. §. *Ita enim*. Quanquam autem in SS. literis ea quæ de Antichristo asserunt SS. Patres non reperiantur; nihilominus tamen probabilia fiunt propter authoritatẽ dictorum Patrum, maximè verò quòd natione ac professione Iudæus futurus sit. Vnde B. Ambrosius super Sanctum Paulum dicit forte; vt Antichristus circuncidatur. Et Seuerinus Sulpitius l. 2. dialog. asserit ipsum omnibus commendaturum, vt circuncidantur. Deinde etiam certum est in principio eum receptum iri â Iudæis tanquã Messiam: credibile autem non est, Iudæos aliquem pro Messia accepturos, qui non sit Iudæus.

Quod autem de tribu Dan futurus sit, nõ ita certum est, quia S. Hieronymus de traditionibus Hebraicis prophetiam istam Patriarchæ Iacob ad literam exponit de Sampsone. Quin etiam Cyrillus Hierosolymitanus

affir-

affirmat Antichristum quò se ex familia ac de stirpe Dauidis esse demonstret, faciliúsque à Iudæis pro Messia acceptetur, singulari affectu Templum Salomonis prosecuturum, eoque fine illud restauraturum ac ornaturum.

Quod verò ex adulterio concipiendus sit, aut turpius, hinc vel maximè verisimile videtur, quia nimirum adeò peruersus ac singularis Christi aduersarius futurus est, vt omnino probabile sit matrem eius purissimæ virgini, de qua natus est Christus Dominus, contrariam planè & absimilem futuram. Quod aliqui dicunt (veluti refertur in tractatu illo de Antichristo quem Sancto AVGVSTINO ascribi iam diximus) fore vt ex impura & impudica muliere sine humano semine, diabolica virtute nascatur, illud falsum & erroneum esse pronuncio: nam Diabolus non habet potestatem formandi corpus humanum sine causa secunda quæ homo est, & semen humanum, quia solus tantùm Deus operari potest absq; causis secundis, sicut apertè satis videtur ex conceptione Christi & creatione primi hominis Adami.

DE MORIBVS ET ACTIOnibus *Antichristi.*

CAPVT V.

S. Paulus secunda ad Thessalonicēses epist. cap. 2. aduentum Antichristi futurū dicit *secundum operationem Satanæ*, id est, ea faciet Antichristus quæ volet Diabolus: præterea vocat eum *hominem peccati*, id est *Diaboli*, secundum expositionem Sedulij. Ex his quæ Apostolus asserit de Antichristo, Theodoretus, Oecumenius, & Anselmus, dicunt fore vt Antichristus iam inde à principio suæ conceptionis à Diabolo obsideatur, & ab eodem postmodum gubernetur, qui diuina permissione Antichristi temperamentum ad omnia vitiorum genera inclinabit, & in ipso omnē suam adoperabitur malitiam. Quare S. Hieronym. (vti superius diximus) Diabolum Antichristi *P*atrem futurum esse attestatur, non quidem quoad generationem aut corporis formationem, quemadmodum præcedenti capite declarauimus, sed propter similitudinem quam habebit cum illo, & peruersam eius intentionem. In summa cū diabolicam potius quàm humanam vitam facturus sit, non inconuenienter filius Diaboli nuncupabitur.

Secun-

Secundò, aſſerunt Sancti Patres, Antichriſtum iam inde à puero omni malitia diabolica repletū iri: quod tamen nō ita intelligi debet, quaſi in illo ſolito citiùs rationis vſus prædominaturus ſit, illud enim citra miraculum fieri nequit, veriſimile autē nō eſt Deum in homine omnium hominū ſceleratiſſimo miraculum operari velle. Ergo credendum eſt diabolum Antichriſtum ab incunabilis ad omne male informaturū.

Tertiò, ſunt qui affirmant Anchriſtum, ſimulatque vſum rationis conſecutus fuerit, educandum in Corozain & Bethſaida, ita exiſtimat S. Anſelmus in Elucidario, & Author tractatus de Antichriſto: ſed cùm illi nullam aſſignent cauſam, ego hanc eſſe arbitror, quòd videlicet Chriſtus apud Sanctum Matthæum cap. 11. ciuitates has de obſtinatione & incredulitate ſua arguat ac repræhendat. Veruntamen illud incertum eſt maximè cùm S. Damaſcenus lib. 4. cap. 27. eum ſecretò educatum iri affirmet. Vt vt, ſit de loco & educatione eius illud tantummodo certum eſt, Antichriſtum ſcilicet à puero omni malitia & aſtutia diabolica plenum futurum, ſimulque à maleficis in arte Magica, & incantationibus inſtituendum, quemadmodum docet Cyrillus Ierosolymitanus catech. 15 nec diſcrepat à ſententia Apoſtoli 2. Theſſ. 2. qui Antichri-

stum filium perditionis & iniquum appellat, cuius aduentus erit secundum operationem Satanæ. Daniel quoque ipsum Regem impudentem facie nuncupat, quibus omnibus malitia & peruersitas eius significatur, Daniel. 8.

Deinde, quod particulariter eius concernit personam, superbissimus erit omnium hominum quotquot vnquam extitêre: vnde S. Paulus loco citato ipsum cum tanta superbia aduenturum dicit, vt ostendat se *tanquam sit Deus*. Item Daniel Propheta c. 11. ait. *Eleuabitur & magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica*. Hinc S. Gregorius lib. 4. epistol. 38 Antichristum Regem superbiæ appellat, vtpote in quo genere peccati cum ipso Lucifero non comparari solū sed etiā certare possit. Præterea loco citato Daniel inquit eum vitio carnis fore quàm addictissimum, dicit enim: *Et erit in concupiscentijs fœminarum*. De tyrannide & crudeli persecutione eius contra Ecclesiam inferius agemus.

Cæterùm, cùm Antichristus sceleratissimus & iniquissimus omnium, quotquot vnquam extitêre, hominum sit futurus, &, sicut suprà dictum, in omnibus à Satana dirigendus sit, hinc nonnulli putauerunt eundem simulatque vsum rationis consecutus

cutus sit ab Angelo custode suo relinquendum ac deserendum propter ingentem seu inexplicabilem malitiā & deprauatissimā inclinationem. Et hanc opinionem suam inclinationem. Et hanc opinionem Viguerius in Institutionibus suis cap. 2. § 3. attribuit S. Thomæ, cùm tamen ea apud S. Thomam non reperiatur. Apud S. Antoninum quidem 4. par. t. 13. c. 4. § 3. legitur Angelum custodem, vbi peruersitatem ac malitiam adeò inauditam & inusitatam in Antichristo perspexerit, nullos exerciturū custodiæ suæ effectus, propter insignem eius obstinationem. Atque ita credendum nobis est Antichristum semper, quamdiu hic erit viator, secum habiturum Angelū custodem, paratum scilicet ad custodiendum illum & inspirandum ei bona atque auertendum à malo. Similiter etiam credendum est Deum (quātum illi conuenit) gratiā ei sufficientē ac necessariam nūquā recusaturū: at tāta, tamq; inueterata illius erit iniquitas & cū Dæmone familiaritas, vt nullum neq; bonis inspirationibus, neq; angelicæ custodiæ, neque diuinæ gratiæ locum sit relicturus. Quartò, scribūt SS. Patres, vti Cyrillus Ierosolym. catech. 15. S. Damasc. l. 4. c. 27. & Hippolitus de cōsummatione mundi, primum hoc Antichristi studium futurū vt Iudæos in fraudē pelliceat, à quibus vt pro Messia recipiatur, ac regiones

corum

eorum occupet, admirabili hypocrisi deprauatam suam intentionem occultabit: quòd iustè permittet Deus in pœnam incredulitatis illorum. Atque sic illud S. Pauli ad Thessalonicenses intelligendum est: *Mittet illis Deus operationem erroris* 2. Thess. 2. id est, Deus permittet, vt Iudæi ab Antichristo deludantur in pœnam peccatorum eorum, vt scilicet, posteaquam Christum verum Messiam recipere noluerunt, falsum Messiam recipiant videlicet Antichristum. Idem illud prædixit Christus apud S. Ioannem, inquiens: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me, si alius venerit in nomine suo* (vti venturus est Antichristus) *illum accipietis:* quasi dicat: Me, qui veritatem vos doceo, recipere noluistis, alium verò recipietis qui vobis faciet imposturam.

Quintò, quoad doctrinam Antichristi in genere dico, eam falsam futuram, impiam, rebellem ac malitiosam. *Primò*, dicunt SS. Patres suprà citati Antichristum, vt voti sui compos fiat, nempe vt pro Messia recipiatur, populum ad legem Moysis & circuncisionem inducturum, ac negaturum Christum Messiam & Saluatorem mundi fuisse: qua doctrina plurimos inducet ad abnegādam fidem Christi. Deinde hominibus persuadere conabitur se verum esse Deum, neque alium esse Deum præter se, iuxta illud

B. Pauli ad Thessal. *Extolletur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus*, vbi in quibusdam exemplaribus legitur: *Ostendens se quia sit Deus*. Imo etiã plus volet esse quàm Deus, quod significatur per hoc: *Extolletur supra omne quod dicitur Deus*, vt locum istum exponunt B. Chrysostomus & B. Ambrosius in locis suprà citatis. Daniel quoque Propheta cap. 11. expresse dicit: *Eleuabitur aduersus omnem Deum*, quæ sunt idola, *Et aduersus Deum Deorum*, qui est verus Deus. Vnde Nicolaus de Lyra ac Glossa ordinaria aiunt, Antichristum palã omnia idola, eorumque cultum è medio sublaturum, vt nimirum ipse solus adoretur: ipse autem in secreto Dæmonem adorabit, qui ei author & adiutor erit ad acquirenda regna terrena, & vocabit illum *Moazim*, de quo loco citato loquitur Daniel. Ex his principijs perspicuè concluditur ipsum Atheum esse futurum iuxta illud Danielis: *Deum patrum suorum non reputabit, nec quenquam Deorum curabit*. quasi dicat illum nõ crediturum in Deum, quem adorauerunt Iudæi parentes & maiores eius, & consequenter etiam non credet alteram esse vitã præter hanc præsentem.

Sextò, sequentibus medijs homines decipiet Antichristus, ac primò quidem eloquen-

quentia, veluti S. Anselmus inquit, in Elucidario suo, à Diabolo enim instruetur in omni genere literarum ac scientiarum. 2. liberalitate, quia largus erat in faciendis donationibus. 3. terroribus ac minis plurimos compellet ad perficiendam voluntatem suam. 4. miraculis & prodigijs stupendis, quæ tamen miracula vera non erunt, vti miracula Christi, sed falsa, & in speciem duntaxat miracula, quemadmodum S. Paulus ad Thessal. ait: *in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.* Quare S. Thomas p. 3. q. 8. art. 8. iusta de causa eum caput omnium impiorum & iniquorum appellat.

S. Irenæus lib. 5. cap. 28. Antichristum insignem magum asserit futurum, idque probat ex dictis S. Pauli paulò antè citatis. Signa verò quæ faciet Antichristus, sunt hæc. Primò, nonnulli verba illa Apocalypseos cap. 13. *Et vidi vnum de capitibus suis quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est*, ita explicans, videlicet Antichristum simulaturum se mortuum esse, ac postea resuscitari, veluti docet Sanctus Gregorius lib. 11. epist. 3. Alij dicunt aliquem ex Antichristi Antesignanis siue prædicatoribus ad mortem vsque feriendum esse, à quibus tamen plagis diabolicis artibus per Antichristum liberabitur, pristinæque sanitati

nitati restituerus. atque illud ceu magnum miraculum vulgus admirabitur. Secundò, ignem de cælo descendentem producet in conspectu multorum. Tertiò, imaginem seu statuam suam diabolica arte loqui faciet. Quartò, alia patrabit signa quæ recenset Hippolitus in oratione de consummatione Mundi, nam mundabit leprosos, curabit paralyticos, sanabit infirmos, dæmonia eijciet, res in partibus longissimè distantibus factas commemorabit, finget se mortuos resuscitare, montes transferet, ambulabit super aquas, Solem etiam circumire faciet præstigijs & arte magica. In summa, signa faciet digna admiratione, sicut legimus apud Sanctum Matthæum cap. 24. Atque hæc omnia Deus permittet, quò scilicet manifestior fiat fides & constantia electorum. Neque tamen per hæc signa cuiquam aliorum præiudicabitur, nemo enim tentabitur *supra id quod potest*, nam per gratiam Dei omnes sibi ab eiusmodi technis & fraudibus signorum Antichristi cauere poterunt ac prospicere.



DE

DE REGNO ANTICHRISTI. CAPVT VI.

EX Sacris literis, potissimum autem ex Daniele Propheta cap. 7. & 11. facilè colligere est Antichristum Regem futurū, & quidem potentissimum. Idem affirmant Sancti Patres, vt S. Damascenus, qui loco citato de Antichristo loquens, ait: *Caput attollet, atque imperio potietur.* Cyrillus in eadem catech. asserit illum maleficijs artiumque magicarum subsidijs populis imponētem Imperium Romanum vsurpaturum. S. Hieronymus etiam super *11.* cap. Danielis, dicit Antichristum in principio quidem parui æstimtum iri, postmodum verò dolis ac fraudibus potiturum principatu.

Dicitur præterea ipsius regnum in ciuitate Babylonica inchoandum, ex qua prodibit in pugnam contra Reges vicinos. Quin & ex cap. 7. & 11. Danielis, item ex cap. 17. Apocal. nec non ex *SS.* Patrum super loca citata explicationibus, colligitur futurum vt tres occidat ex decem illis Regibus inter quos diuisum erit Imperiū Romanum, Regem scilicet AEgypti, Regem Libiæ, & Regem Aethiopiæ, reliquos verò septem coniunget cum suo imperio, quæ omnia per allegoriam decem cornuum bestiæ insinuantur.

Cæte-

Cæterum Rex potentiſſimus erit ſimul & opulentiſſimus, nam omnibus huius Mundi bonis ac temporalibus opibus abũdabit. Vnde Daniel cap. 11. inquit: *Dominabitur theſaurorum auri & argenti, & in omnibus pretioſis Ægypti.* S. Anſelmus etiam in Eluc. ſuo dicit illum diabolicis artibus poſſeſſurum quicquid auri & argẽti, vel in terra vel in mari reperitur, ſimulque omnes auri argentique fodinas effoſſurum, & ſic donis ac muneribus maximam hominum multitudinem ad ſe alliciet. Breuiter, totius Mundi Monarcha erit, quemadmodum patet ex cap. 13. Apocal. *Data eſt illi poteſtas in omnem tribum & populum, & linguam, & gentem.*

Porrò communis eſt ſententia eum in Ieruſalem principalem Imperij ac Monarchiæ ſuæ ſedem collocaturum, vbi in templo à ſe reſtaurato ſedebit, ac ſe adorari faciet inſtar Dei, ſicut demonſtrat S. Paulus 2. Theſſ. 2. dicens: *Ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Quod ita ad literam exponunt Irenæus, Cyrillus, Damaſcenus, & Hippolitus ſuprà citati. Idem etiam prædixit Daniel Propheta cap. 9. *Et erit in templo abominatio deſolationis.* Vbi Antichriſtus abominatio appellatur, propter abominãda eius ſcelera & peccata. Atque ita locum iſtum interpretantur S. Irenæus

næus lib. 5. contra hæresin cap. 25. Origenes tract. 29. in Matth. S. Hilarius ca 25. in Matth. & S. *Ambrosius* lib. 10. in Lucam per desolationem intelligunt eam quam faciet *Antichristus* in templo Ierosolymitano, quanquam alij putent per desolationē intelligi istam deuastationē, quæ facta fuit temporibus Titi & Vespasiani. *Alij* porrò, quemadmodum S. *Anselmus* in illum locū S. Pauli, per templum animas hominum intelligunt, quæ templa Dei sunt, in quibus sedebit & regnabit *Antichristus*. Verum ista expositio spiritualis magis est quàm literalis. Reliquum nunc est, vt, quamdiu regnaturus sit Antichristus, inquiramus. Regnabit igitur, sicut ex Daniele & *Apocalyp.* colligere licet, annos tres & dimidium. Prophetia Danielis hæc est: *Et tradentur in manu eius vsque ad tempus & tempora, & dimidium temporis.* & cap. 12. A *tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem,* (quod futurum est in persecutione Antichristi) *dies mille ducenti, nonginta*, qui efficiunt tres annos cum dimidio, & paucùlos dies, qui differentiam nullam notabilem faciunt. In *Apocalypsi* scriptum est: *ciuitatem sanctam*, quæ Ierusalem est, *calcabunt mēsibus quadraginta duobus*, id est, tribus annis & dimidio. Idem repetitur cap. 13. Itaque Regnum Antichristi dura-

durabit, quamdiu Christi durauit prædicatio, tres videlicet annos & medium. Dicet quispiam, quod si ita est, quomodo breuissimo isto tempore tanta poterit acquirere regna, ac totum pene Mũdum Imperio suo subijcere? quomodo possibile est vt Indias sibi subijciat, quas vix trium annorum spatio queat adire? Respondeo, quando dicitur *Antichristum* regnaturum tribus annis cum dimidio, non dicitur per illud tempus cum bella gesturum, vt vniuersas Mundi partes sibi subiuget; sed ita intelligendum est, vbi nimirum vi armorum & fallacijs ac fraudibus diabolicis omnia regna Mundi acquisiuerit, iamque totius Mundi Monarcha constitutus fuerit, tres annos regnabit & dimidium, totus in Ecclesiam Christi persequendam intentus.

DE PERSECVTIONE ANTIchristi contra Ecclesiam.

CAPVT VII.

QVod Antichristus Ecclesiam, id est Christi fideles, presecuturus sit maiorque isthæc futura sit tribulatio & crudelior persecutio, cunctis presecutionibus quotquot vnquam fuère, iam ab ipso Christo Domino longè antè prędictũ fuit, quãdo ait: *Erit tũc tribulatio magna, qualis nõ fuit*

ab ip-

ab initio Mundi, vsque modò, neque fiet. Et apud Danielem cap. 7. legitur *Et ecce cornu illud* (id est Antichristus) *faciebat bellum aduersus sanctos, & præualebat eis.* Et post pauca: *Et sanctos Altissimi conteret.* Idem illud reperitur in Apocalypsi cap. 20. *Soluetur Satanas de carcere suo,* &c.

Secundò, persecutio illa, quam contra Christianos exercebit Antichristus, non in temporalibus solùm, sed etiam in spiritualibus rebus consistet: non enim bonorum suorum tantùm iacturam homines facient, possessiones eorum deuastantibus ac inuadētibus Antichristi militibus, sed & à cultu diuino prohibebuntur, auertentur à fide Christiana, ac demum tanta erit truculentia & fallacia Antichristi, *vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.*

Tertiò, impijssima erit hæc persecutio, nam Christiani primò cogentur abnegare Christum: deinde Sacramenta ritusque & cæremonias omnes deserere compellētur, iuxta illud Danielis cap. 12. *Auferetur iuge sacrificium,* tempore scilicet Antichristi. Denique adigentur negare verum Deum, & diuinum honorem ac cultum Antichristo homini sceleratissimo & iniquissimo exhibere cogentur. Et quia in omnibus simul locis Antichristus esse non poterit, ministri imaginem ipsius adorari ac venerari procurabunt,

curabunt, quæ in cunctis Christianorum templis & Ecclesijs erigitur, quam si quis adorare ac reuereri recusauerit, crudelissima morte perimetur, secundum illud Apocalyp. Cap. 13. *Et faciet vt quicunq; non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur.* Atque hoc vnum erit ex falsis Antichristi miraculis ac ministrorum eius, vt nimirũ præstigijs & artibus diabolicis loqui faciant imaginem seu statuam in omnibus Ecclesijs erectam ad adorandum. Ad extremum procurabit Antichristus vt omnis in fronte siue dextra signum gestent vel sigillum, ex quo asseclæ & cultores eius dignoscantur, quo qui carebunt ab omni emptione ac venditione prohibebuntur. Verùm S. Scriptura laudat quotquot illud signum non receperint, contrà verò his qui illud receperint, quàm grauissimas perpetuasque pœnas comminatur. Omnia hæc in Apocalypsi pulcherrimæ descripta reperiuntur videlicet à cap. 13. vsque ad caput 20. Quale autem signum siue qualis caracter ille futurus sit, S. Scriptura non exprimit, quemadmodum autem signum crucis proprium signũ est Christianorum: ita etiam verisimile est Antichristi asseclas certum ac firmum aliquod signum vel in fronte vel in dextra gestaturos, vti affirmat Lactantius lib. 7. c. 17. Et Sanctus Thomas part. 3. quæst. 63. art. 3.

dicit per hunc bestiæ (id est *Antichristi*) characterem intelligi professionem illiciti cultus *Antichristi*. Quartò crudelissima hęc erit presecutio propter inaudita tormēta, quæ Christiani sustinebunt, quorum inuētor erit Diabolus, qui isto tempore solutus erit à vinculis, vt contra sanctos Christique electos omnem exerceat sæuitiam. Quare Cyrillus Ierosolymitanus, & Hypolitus locis suprà citatis affirmant eo tempore Martyres futuros illustriores quā vnquam aliàs in Ecclesia Christi extiterint: nam cæteri Martyres ab hominibus & tyrannis Diaboli ministris afflicti sunt & excruciati; in hac verò Antichristi persecutione ipse Dæmon bellum mouebit contra Christi fideles, qui nouos exquisitissimosque tormentorum modos excogitabit.

Quintò, Vniuersalissima hæc erit persecutio, & grassabitur per totum orbem Christianum, iuxta illud S. Ioannis in Apocal. cap. 13. & 20. *Ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra Sanctorum.* Quem locū explicans S. August. lib. 20. de ciu. Dei cap 9. ait omnes hæreticos, scismaticos, sceleribusque ac flagitijs deditos homines vniuersæ terræ comuni, quasi syncretismo secum Antichristo coniuncturos ad affligendos & cruciandos Chisti fideles.

Hîc notandum est, quòd etsi multi in

cru-

crudelissima hac persecutione à fide defe-
cturi sint, Christoque renunciaturi, nihilo-
minus tamē militantem Christi Ecclesiam
sartam tectam conseruatum iri: nam præ-
ter illos qui pro sanctissima Christi fide è
medio tollentur, relinquentur alij multi,
qui verùm Christi cultum obseruabunt. Sed
hæc sententia repugnat Dominico Soto in
4. sent. dist. 46. art. 1. quæst. 2. vbi existi-
mat omnes propter insignem illam crude-
litatem ac tyrannidem Sedi Apostolicæ re-
bellaturos, totamque fidem extinctum iri.
Quæ sententia falsa omnino est & erronea,
cùm ipse Dominus ac Saluator noster apud
S. Matthæum cap. 24. expresè quosdam
Electos in fide stabiles permansuros esse as-
seueret, propter quos etiam breuiabuntur
dies illi. Non igitur verum est fidem om-
nem prorsus extinctum iri. Certum qui-
dem est plurimos à Christiana religione
defecturos, secundum illud S. Lucæ cap. 18.
*Veruntamen filius hominis veniens, putas in-
ueniet fidem in terra*? Et illud Sancti Pau-
li secundo Thessalon. cap. 2. *Nisi venerit
discessio primùm.* quibus verbis innuere ac
significare videtur multos quidem religio-
nem Christianam relicturos & apostatas
futuros, veluti ea intelligit S. Augustinus
de ciuit. Dei lib. 20. c 19. Itemq; Interpretes
Græci; sed tamē nō idcirco omnes deficiēt.

Quod porrò Lactantius ait lib 7. cap. 16. in persecutione illa duas potiores Christianissimi partes à fide defecturas, incertum est, neque firmo satis fundamento corroboratum. Certissimum est, prorsusque indubitatum, quòd militans Ecclesia nunquam deficiet à vera fide, quia semper remansurus est aliquis fidelium cœtus, sicut probat S. Augustinus lib. 20. de ciuit. Dei cap. 11. ex verbis Christi Matthæi 16. *Portæ Inferi non præualebunt aduersus eam.* nūquam ergo deficiet Ecclesia. Præterea verisimile est multos eo tempore fideles ad montes aliaque loca remota ac solitaria sese recepturos. vbi non deerit illis occasio frequentandi Sacramenta, cæteraq; Ecclesiastica munia obeundi & exercendi.

Finem huic crudelissimæ persecutioni imponet mors cùm ipsius Antichristi, tum etiam impiorum ministrorum illius. De morte Antichristi sic ait S. Paulus in 2. ad Thessal. 2. *Dominus Iesus interficiet eum spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.* Quod quidem nō ita intelligendum, quasi Christus ipse in propria persona de Cælo sit descensurus ad interficiēdum Antichristum, quemadmodum velle videtur Lactātius, eò quòd aduentus Christi ad iudicium diebus aliquot post mortem Antichristi futurus sit, vti postea declarabitur: neque enim

nim absolutè dicit S. Paulus ipsum à Christo occidendum esse, sed interficiendũ *spiritu oris sui*, id est, Christus ordinabit ac cõmendabit vt interficiatur. Ita eum locum exponit Sanctus Chrysostomus hom. 4. in 2. epist. ad Thessal. Sanctus Thomas quoq; eadem Apostoli verba explicans, dicit Antichristum à Sancto Michaele Archangelo interficiendum esse in monte Oliueti, idq́; ex mandato Christi, qua de re traditiones etiam habemus Scriptorum Ecclesiasticorum, quia ex eodem monte ad operum suorum confirmationem in Cælum euolare conabitur, sed spe sua delusus occidetur. Idem asserit Sanctus Hieronymus in Danielem.

Arbitrantur nonnulli eo ipso tempore, quo interficietur Antichristus, futurum vt luculento igni cælitus delapso omnes Antichristi ministri & Ecclesiæ persecutores consumantur, eamq́ue opinionem hauserunt ex verbis illis Apocal. cap. 20. *Descendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos.* Alij porrò dicunt ea ipsa die, qua occidetur Antichristus, omnes per vniuersum mundum Antichristi asseclas & fautores diuina virtute pariter interimendos esse, atque hoc modo Prophetiam illam Ezechielis intelligunt, vbi dicitur ca. 38. *Gladius vniuscuiusq; in fratrem suum dirigetur.* Verùm licet om-

nes non vno eodemque die è medio tollātur; nihilominus tamen certum est, fore vt persecutio illa breui tempore cesset, electi recuperent quietem, & Antichristi asseclæ omnes omnino destruantur.

Aliqui ex Prophetia illa Dan. cap. 12. citata colligunt inter mortem Antichristi & Christi Domini ad Iudicium aduentū quadraginta quinque dies intercessuros, quod quidem tempus Christi fidelibus in quietem, peccatoribus verò ad pœnitendum concedetur. In hac sententia est Suarez de Antichristo sect. 6. in fine, & sect. 2. §. *Tertium*, quæst. 19. Eodem etiam tempore apparebunt signa illa quæ Iudicium extremum præcessura commemorantur.

QVOD ET QVALES FVTVRI sint præcursores Christi venientis ad extremum Iudicium.

CAPVT VIII.

CIrca hanc quæstionem variæ ac diuersæ SS. Scriptorum fuêre sententiæ. Victorinus in Apocalypsi cap. 11. asserit, Ieremiam vnum futurum ex *Præcursoribus* Iudicij extremi, quæ tamen opinio à S. Hilario super S. Matthæum, tanquam nulli innixa fundamento refutatur. Deinde communis sententia est Præcursores istos etiam

iamnū in viuis supereſſe; Ieremiā verò conſtat lapidibus obrutū interijſſe in Aegypto, vti ſcribit Epiphanius in lib. de Prophetis, Iſidorus de vita & morte Sanctorum, & Dorothæus in Synopſi.

Alij porrò Præcurſorum munia obituros exiſtimauerunt tres iſtos, Enoch, Eliam & Moyſen. Inter hos fuit S. Hilarius in locum citatum S. Matthæi, vbi Moyſen adhuc corporaliter viuere affirmat. At Ganæus eandem ſequens ſententiam, Moyſen mortuum eſſe aſſeuerat, reſurrecturū autem à mortuis ante extremi iudicij diem ad obeundum Præcurſoris officium. Et hæc ſententia ſimiliter omni fundamento deſtituta eſt, & Moyſen mortuum eſſe S. Scriptura atteſtatur Deuteronomij 34.

Alij aſſerunt, cum Enoch & Elia tertium Præcurſorem futurum S. Ioannem Euangeliſtam, idque ex verbis Chriſti colligūt, dicentis: Ioan. 21. *Si eum volo manere donec veniam*, quo in loco Chriſtus loquitur de aduentu ſuo ad Iudicium. Ergo non morietur Ioannes vſque ad ſecundum Chriſti aduentum. Quod certè veritati quàm maximè conſentaneum eſſe videtur, cùm nulla vſquam de morte ſeu obitu S. Ioannis extet hiſtoria, neque vllæ eiuſdem reliquię reperiantur: legitur enim ſolummodò eum viuū intraſſe ſepulchrum, atq; inde diſcipu-

lis suis, vt regrederentur commendasse, qui sequenti die reuersi, nec corpus eius nec sepulchrum inuenerunt. Præterea apud Sanctum Matthæum cap. 20. Christus ait ad illum: *Calicem quidem meum bibetis,* scilicet Martyrij quem tamen ille necdum bibit, veluti reliqui omnes Apostoli qui mortui sunt in testimonium fidei. Ergo bibet illum in persecutione Antichristi. Atque ita etiã illud adimplebitur quod Angelus ait ad S. Ioannem in Apocalypsi cap. 10. *Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.* quod necdum completum est, neque adimplebitur nisi vnus ex Christi Præcursoribus futurus sit. Denique etiam necessarium est, vt adhuc veniat S. Ioannnes testimonium perhibere de lege Gratiæ quemadmodum Elias testimonium perhibebit de lege scripta, & Enoch de lege Naturę. In hac sententia fuit Hippolitus in orat. de consummatione. S. Damascenus in orat. de Transfigur. & S. Ambrosius lib. 7. in Lucam, Simeon Metaphrastes in vita S. Ioannis, Sabellicus de memorabilibus lib. 1. cap. 8. Gregorius Trapezuntius super verba ista: *Si eum volo manere.* Chatarinus Genesi 2. Freculphus in Chronicis tom. 2. lib. 2. capitulo 9. eandem sententiam tueri videntur.

Alij porrò contrariam opinionem defendunt.

fendunt, & putant S. Ioannem non futurũ Præcurſorem in extremo Iudicio, ſed duos tantũ fore, Enoch ſ. & Eliam. Ratio illorũ hæc eſt. Si B. Ioãnes de vita exceſſit, ergo anima illi⁹ beata eſt, alioquin enim Eccleſia feſtiuitatẽ eius non celebraret: Iam ſi Præcurſor futurus eſſet, neceſſarium foret vt anima illius corpori mortali ac paſſibili denuò vniretur, quod miraculum foret inuſitatum. S. Ioannem mortuum eſſe plurimi antiqui & Sancti Patres affirmãt: vt S. Hieronymus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis vbi de B. Ioanne ſic loquitur: *Confectus ſenio ſexageſimo octauo poſt paſsionem Domini anno mortuus, iuxta eandem vrbem ſepultus eſt.* Euſebius lib 3 hiſtor. cap. 25. & 31. item lib. 5. cap. 24 Nicephorus lib. 1. cap. 35. & lib. 2. cap. 42 Tertullianus lib. de Anima ca. 50. alijque innumeri, qui à Suarez citantur diſp. 55. ſect. 3.

Quanquam verò prima illa opinio probabilis eſſe videatur propter authoritatem, tantorum Doctorum; nihilominus tamen veriſimilior videtur eſſe ſententia ſecũda, cùm ipſe Ioannes cap. 11. Apocalyp. perſpicuè dicat futurum vt duo Præcurſores iſti ab Antichriſto occidantur. Ad rationes autem prioris iſtius opinionis facilè eſt reſpondere: nam quantum ad primam illam Chriſti authoritatem attinet: *Si eum volo*

manere donec veniam, respondetur Christum eo loco conditionaliter loqui ac per interrogationem, nulla certa posita affirmatione. & hæc responsio est S. Chrysostomi & Cyrilli. Præterea etiam dici potest, Christum isto loco de aduentu suo loqui qui futurus erat ad ruinam ciuitatis Ierusalem, nam eo tempore etiam S. Ioannes vixit. Et hęc est Theophilacti expositio, quam & sequitur Toletus. Quod verò viuus sepulchrum intrasse dicitur, idipsum incertum est & apocryphum: Abdias enim antiquissimus Author affirmat eum obijsse. Et si concedamus ipsum viuum intrasse sepulchrum, non tamen inde sequitur eum non fuisse mortuum. Reliquias verò illius quod attinet, S. Chrysostomus hom. 26. ad Hebr. asserit multo tempore eas Ephesi fuisse conseruatas. Quãtum ad calicem seu martyrium, respondemus cum S. Hieronymo, S. Ioannem tunc perpessum fuisse martyrium, quando in feruētis olei dolium missus est, à quo licet miraculosè fuerit præseruatus; nihilominus tamē, quia eiusmodi tormentum sufficiens erat ad inferandam ei mortem, ad quam pro Christi nomine tolerandam vltro se obtulerat, verissimè dici potest ipsum calicem Christi bibisse, id est verè martyrium subijsse. Quin imo Euthymius inquit, non solum is martyr dicendus

eſt, qui per vim à tyrannis pro Chriſti nomine morte mulctatur, ſed etiam qui pro eiuſdem nomine exilium, flagellationes, & quaſuis alias aduerſitates patienter ſupportat, & in illis ad mortem vſque conſtanter perſeuerat, atque ita paſſus eſt S. Ioannes: Quod autem illud attinet quod in Apocalypſi dicitur: *Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.* de ipſius Euangelio intelligi poteſt, quod de nouo per Mundum prædicabitur. Ad teſtimonium illud, quod S. Ioannes daturus erit de lege Gratię, reſpondemus S. Ioannem ad hoc teſtimonium ferendum non neceſſariò requiri, quippe cum in iſta Antichriſti perſecutione non defuturi ſint Sancti & Chriſtiani Prædicatores, qui doctrina pariter & ſanguine ſuo teſtimonium de lege Gratiæ perhibebunt. Denique quod S. Ioannes Chriſtum in carne viderit, non conuincit illum vnum ex Præcurſoribus futurum, quia & Elias Chriſtum in carne vidit in die Transfigurationis eius.

DE ENOCH ET ELIA PRAE-cursoribus Christi.

CAPVT IX.

DE duobus hisce seruis Dei ac Præcursoribus Christi in secundo eius in Mundum aduentu, multa tam in sacris literis quàm apud *SS.* Patres scitu dignissima reperiuntur, quæ sigula per modum dubiorum enodabimus. Ac primum quidem dubium est, an Enoch & Elias adhuc viui supersint, an verò mortui sint, & ante omnes alios resuscitandi vt officio fungantur Præcursorum? Respondeo eos etiamnum viuere, viuosque in aduentum Antichristi conseruatum iri. De Enoch Genesis 5. dicitur: *Ambulauitq; cum Deo & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Et in Ecclesiastico ca. 44. legitur: *Enoch placuit Deo & translatus est in Paradisum.* Item Apostolus ad Hebræos ca. 11. ait: *Enoch translatus est ne videret mortem.* Ex quibus locis perspicuè satis intelligitur Enoch nondum obijsse. De Elia porrò inquit *S.* Scriptura 4. Reg. 2. *Ascendit Elias per turbinem in Cælum.* Item reperitur in Ecclesiastico cap. 48. Idipsum quoq; cōffirmant *SS.* Patres, vt *S.* Augustinus 2. lib. de peccato orig. cap. 23. & lib. 1. de pecc. & mer. cap. 3. B. Hieronymus ad Pammachium epist. 61.

S. Am-

S. Ambrosius de fide lib. 4. cap. 1. B. Gregorius lib. 9. moral. cap. 4 & complures alij quos citat Suarez disp. 55. sect. 1. qui omnes vnanimiter asseuerant Enoch & Eliam etiamnum in viuis conseruasti.

Secundò dubitatur, qua de causa aut in quẽ finem Deus hosce duos famulos suos tanto tempore in viuis conseruare voluerit, cùm vel resuscitare eos conuenienti tempore, vel alios etiam similes & æquales ex illius temporis hominibus eligere possit, quales scilicet sub illa Antichristi persecutione defuturos ac desideratum iri non est credibile, Viros SS. in religione feruẽtes & ad Præcursorum munus obeundum maximè idoneos. Respondeo illud ex consilio ac ordinatione diuina dependere, cuius rationem aliã dare nequimus præter diuinam voluntatem. SS. Patres tamẽ hanc etiam assignant causam, Deo nimirum ita placuisse, vt videlicet hominibus vitam illam immortalem insinuaret, quam amicis & electis suis daturus est: deinde vt significaret se, si ita sibi collibuisset, facilè omnes homines immortales cõseruare potuisse, adeò vt nunquam mortem vidissent.

Tertium dubium est, an Enoch & Elias beati sint, & beatifica Dei visione fruantur, nec ne? Respondeo nõnullos partem tenuisse affirmatiuam inter quos est Procopius

Gaza in Genes. cap. 5. Augustinus Eugubinus de veteri testament. in cap. 2. Genes. & Catharinus de consummata gloria Christi. Alij verò contrarium tuentur, dicentes eos non esse beatos, nec secundùm animam neque secundùm corpus. Rationem istam ponunt, quòd nimirum istis duobus necessarium sit mori ex mandato Antichristi, vti postea dicetur: Ergo corpora eorum non sunt glorificata, sic enim essent etiam immortalia ac impassibilia: neque beati sunt secundùm animam, quia ante Christum non erat apertum regnum cælorum, neq; beatitudinis gloria vlli data fuit Patrum antiquorum. Neque post Christum animæ eorum gloriosæ fuerunt, sic enim & corpora illorum gloriosa esse necessarium foret, nam ex animæ gloria etiam corpus gloriosum fieri necesse est: etenim in solo Christo miraculum illud repertum fuit, vt nimirum anima illius iam gloriosa esset in corpore mortali. In hac sententia sunt multi SS. Patrum, veluti Iustinus Martyr qu. 85. Gregorius Nazianzenus orat. 34. Sanctus Hieronymus in epist. 61. Epiphanius Hæres & alij.

Quartò quæritur, an Enoch & Elias sint in statu gratiæ, an non? Respondeo, cùm viatores sint, nec quicquam in illis desidetur, quod ad promerendum sit necessarium

(sunt

(sunt enim in statu gratiæ & amici Dei habentes fidem, spem & charitatem) videntur planè in statu esse merendi, nisi velimus dicere deteriorem esse illorum conditionē quàm beatorum ac viatorum, sic enim vitam agerent miseram & afflictam, eò quòd neque Deo fruantur, neque facultatem habeant promerendi, quò postmodum eodem meliùs ac pleniùs perfruantur. Adhæc etiam à Dei bonitate & magnificētia prorsus alienum esse videtur seruitij sui causa tanto tempore duos hosce Athletas non solùm priuare beatitudine, sed & medijs quoque maiorem gratiam & gloriam acquirendi. Attamen quibusdam probabiliùs videtur eos, dum in Purgatorio quasi in deposito detinentur, non esse in statu merendi, merituros autem tunc, quando prodibunt ad exequendum munus Præcursorum, quando videlicet martyrium sustinētes aureolam non vulgarem acquirent, simulque gratiæ & gloriæ augmentum promerebuntur. Ratio huius sententiæ est, quia si tāto tempore illi mererētur, suis iā meritis reliquos omnes Sanctos, imo etiā Beatissimā virginem superarent, quod perquā absurdum esse videtur. Ad argumenta contrariæ partis ita respōdent: Quemadmodū in reliquis omnibus meritū cessat per mortem; ita in his cessat merendi potestas per

transla-

translationem illam in alium viuendi statũ, quæ ipsis est loco mortis. Deinde etiã, quãquam necdum peruenerint ad terminum & scopum suum optatum; negari tamen aliquo modo potest eos esse viatores, quia diuerso vtuntur statu ac modo viuendi. Neq; sanè hinc molestiam aliquã sentiunt, quòd beatitudine sua tanto iam tempore suspẽsa ipsi adhuc tanquam in exilio degere cogantur, quippe qui vltro ac lubentes sese cõforment voluntati Domini sui. Adde, iã multum eos meruisse dilectione & obedientia sua cùm in hunc viuendi statum fuêre trãslati, plurimum quoque merituros, quando ad resistendum Antichristo prodibunt, vnde dilatio beatitudinis illorum compensatione remunerabitur nequaquã spernẽda. Huic posteriori sententiæ etiam astipulatur Suarez de Antichristo disp. 55. sect. 1 §. *Sed quæres*. Mihi verò nec prior illa opinio displicet.

Quintò dubitatur, an Enoch & Elias modò peccare possint, an verò contra in gratia confirmati sint? Respondetur eos adeò in gratia & omni bono esse confirmatos, vt nullo modo peccare queant. Ratio autem hæc est: Si iusti cùm sint mereri tamen nequeunt, inconuenienter profectò delinquere eos posse putabimus: siquidem hac ratione conditio illorum futura esset longè miserri-

ferrima. Itaq; credendũ est eos inordinatis motibus & appetitibus, qui aggrauant animam, nequaquam infestari, alioquin enim vitam agerent inquietam. *Præterea* cum ipsi, vt Deo inseruiant, tanto tempore beatitudine sua priuari patienter tolerẽt, æquum pariter esse videtur, vt Deus illis animæ tranquillitatem concedat, ne videlicet inordinatis affectibus inquietentur. Ita ait S. Bernardus de *Ascensione* Domini. Deinde etiam credibile est illos modò cõsolationibus spiritualibus ac reuelationibus statui sui congruentibus subinde adiuuari, nec non frequentibus Angelorum perfrui visitationibus. Et licet incertum sit an videant Christi humanitatem; certum tamẽ est Heliam ipsum iam hominem factum vidisse, & allocutum esse in die Transfigurationis.

Sextò quæritur, an Enoch & Elias cibis nutriantur corporalibus, an verò miraculosè conseruentur? Respondeo certum esse Deum, si velit, eos absque omni cibo materiali posse conseruare: nam si mediante arbore vitæ potuit hominis mortalis vitã in perpetuum prorogare, dubium non est, quin eundem etiam per se suamque potentiam conseruare possit, iuxta illud S. Matthæi cap. 2. *Non in solo pane viuit homo, sed in*

omni

omni verbo quod procedit de ore Dei. Moyses etiam Exod. 24. & 34. absque cibi adminiculo à Deo in monte quadraginta diebus & noctibus conseruatus fuit. An verò Deus illo sine omni alimento conseruet, S. Scriptura non exprimit. S. Hieronymus epistola citata arbitratur eos corporali cibo nō indigere, sed spirituali tantum alimento sustentari, quod est facere voluntatem Domini. S. Augustinus contra aduersarium legis lib. 2. cap. 15. hanc rem in dubio relinquit. Mihi probabilius videtur Deum illos absque omni materiali cibo conseruare, hic enim modus Deo videtur esse conuenientior ad demonstrandam eius potentiam; deinde etiam conuenit eos ab omni edendi ac bibēdi cura liberos esse & solutos.

Septimum dubium est, in qua mundi parte hi duo Christi præcursores detineantur? Respondeo communē SS. Patrum sententiam esse, de hoc nihil certi liquere. Licet in Ecclesiastico dicatur. Enoch in paradisum fuisse translatum : nihilominus tamen ex hac authoritate ipsa rei veritas indubitata non elucescit, quippe cùm vox *Paradisus* varias in sacris literis habeat significationes. *Primò* namque per Paradisum significatur locus beatorū. 2. Paradisus terrestris in quo collocatus erat Adamus. 3. locus quilibet amœnus & iucūdus. Aliqui SS.

Patrum.

Patrum Enoch & Eliam in Paradiſo terreſtri detineri exiſtimant, inter quos eſt Irenæus lib. 5. contra hæreſes, cap. 5. S. Athanaſius in epiſtola contra Arrianos, S. Iuſtinus Martyr quæſt. 85. ad orth. B. Auguſtinus loco citato, S. Thomas in 3. par. qu. 49. art. 5. & in 1. par. quæſt. 102. art. 2. ad 3.

Alij Paradiſi vocabulum in tertia illa ſignificatione accipientes Enoch & Eliam translatos eſſe dicunt, non in Paradiſum illum terreſtrem, in quo erat arbor vitæ, ſed in locum aliquem amœnum & ſecretum. Huius claſſis eſt S. Gregorius hom. 29. in Euang. & Rupertus lib. 3. de Trin. ca. 33. Sed dicamus Enoch in Paradiſum terreſtrem fuiſſe tranſportatum vti Eccleſiaſticus atteſtatur; hinc tamen non ſequitur eum nunc cum Elia ibidem commorari, multi enim exiſtimant Paradiſum terreſtrem aquis diluuij eſſe deſtructum, ſicut ſcribit Benedictus Pererius, tomo 1. ſuper Geneſin, lib. 3. diſp. 1. quæſt. 4. Quòd ſi verùm ſit, neceſſariò dicendum eſt, Enoch tempore diluuij, aliò fuiſſe tanslatum, ideoque incertum planè eſt vbi nunc agat cum Elia.

Hanc ob cauſam nonnulli dixerunt, Enoch & Eliam in locum quendam cæleſtē ac ſupra terram conſtitutum perductos eſſe. In hac ſententia eſt Sanctus Hieronymus in Amos prophetam cap. 9. Dorotheus

in

in Synopsi, B. Ambrosius de Paradiso cap. 3. & plures alij. Hac autem raione nitũtur, quòd scilicet S. Scriptura, 4. Reg. 2. de Elia dicat, *Ascendit per turbinem in cælum.* Verũ hinc non sequitur Enoch & Eliam esse in cælo: nã cũ corpus habuerint materiale ac mortale, videtur terra eis esse conuenientior quàm cælum. Et quia Scriptura ait, Eliã ascendisse in cælum, intelligitur cælum aëreum, quò ascendit Elias, non vt ibidem habitaret aut permaneret, sed raptus per aërem, tandem ad eam terræ partem delatus est, vbi nunc cum collega suo Enoch vitam degit. Secundò verisimile admodum dico eos in Paradiso terrestri agere, quem locum vel præseruare Deus potuit, ne per aquas diluuij destrueretur, vel certè postmodum potuit restaurare, vt esset in habitationem duobus hisce charissimis ministris suis, qui pro eius nomine grauissimas adhuc ærumnas sunt perpessuri. Probabile etiam videtur quod hac de re Beatus Gregorius & Rupertus affirmant.

Quæritur octauò, quod horum duorum Præcursorum futurum sit officium sub illa Antichristi persecutione? Respondeo illos contra fraudes ac technas Antichristi eiusque assectarum prædicaturos: deinde signa & miracula multa facient in confirmationem fidei Christianæ, quibus deceptos ac

per-

peruersos ab Antichristi prædicatoribus ad rectam viam conuertent, reliquos verò ad constantiam in cultu diuino conseruandam adhortabuntur, quemadmodum Malachias Propheta cap. 4. futurum prædixit, dicens: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum àd patres eorum.* S. Matthæus quoque cap. 11. dicit: Eliam venturum & omnia restauraturū. Item de vtroque Enoch scilicet ac Elia, scriptum est Apocalypsi ca. 11. quòd venturi sint in testimonium Dei, ideoque ab Antichristi ministris interficientur in Hierusalem, fientque illustres Christi martyres.

Nonò quæritur, quare, cùm multi alij idem officium præstare facillimè queant, hos duos præ reliquis Deus elegerit? Respōdetur huius rei causam soli Deo esse cognitam, neque nobis reuelatam, quanquam sacri scriptores talem rationem assignent, quòd scilicet Enoch excellēs fuit ac primus in cultu diuino, Elias autem feruentissimus ac maximus veritatis Zelator. Deinde, quia hi duo antiquissimi sunt, futurum est vt prædicationes eorum maiorem habeant authoritatem & efficaciam. Denique cum Enoch sub lege vixerit naturæ, Elias autem sub lege scripta, demonstrabunt eundem

Deum

Deum vtriusque legis esse authorem, eandemque semper fuisse fidem in Christum à Mundi principio vsque ad consummationem eius.

Decimò quæritur, quomodo hi duo Præcursores venturi sint, quantoque tempore eorum duratura sit Prędicatio? Hac de re SS. Patres ita supra Apocalypsin scribũt. Primò, eos per aërem venturos in nebula quadam siue curru igneo, quemadmodum Elias ascendit cùm de terra in cælum transportaretur. Secundo, ex improuiso apparebunt in medio Ierusalem aut alterius cuiusnis ciuitatis celebrioris. Tertiò, prædicatio eorum durabit mille ducentis & sexaginta diebus. Quartò incedent vestiti saccis ad docendam ac introducendam vitæ asperitatem, paupertatem & humilitatem, quò scilicet eiusmodi virtutibus ac miraculis, quæ perpetrabunt, illorum prædicatio confirmata efficacior sit ad reliquos in fide Christi conseruandos ac inducendos peccatores ad pœnitentiam.

Dicet aliquis quomodo fieri potest, vt tã exigui temporis spatio hi duo Euangelium prędicent per vniuersum Mundum, iam totum Antichristi fraudibus & fallacijs inescatum? Respondeo non esse necessarium, vt totum Mundum circumeant, ac in singulis minutissimis etiam locis concionentur,

tur, satis erit si in ciuitatibus tantùm celebrioribus prædicent. Verisimile quoque est eos ab inuicem diuisos per diuersas orbis partes prędicaturos, neque solùm voce, sed & literis ac scriptis proximos suos adiuturos, & discipulos hinc inde in diuersa loca ad prædicandum ablegaturos.

Dico præterea Antichristum, simulatq; de eorum aduentu & operibus certior factus fuerit, eosdem capitali odio persecuturum, atque omnem operam adhibiturũ, vt illos sub potestatem suam redactos è medio tollat. Verùm tanta erit efficacia miraculorum eorum, vt his sese ad tempus vsq; à Domino præfinitum tueri possint ac defendere: vnde in Apocalypsi cap. 11. dicitur *Et si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum & deuorabit inimicos eorum*. id est: orationibus suis ignem cœlitus in aduersarios suos facient descendere, quemadmodum alias solitus erat facere Elias, vt videre est 4. Regum 1.

Demùm vbi venerit tempus à Deo præfinitum, cessabunt à faciendis miraculis, capientur, & iussu Antichristi interficientur, corpora eorum semiquatuor dies in plateis insepulta iacebunt: Deinde cum stupore omnium resuscitabuntur, audieturque vox de cælo dicens: *Ascendite huc*, & ascendẽt in cælum in nube clarissima & præfulgida, nõ

ſine ingenti circumſtantium admiratione. In illa hora, inquit B. Ioannes, erit terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis cadet, & occidentur in terræmotu, nomina hominum ſeptem millia, & reliqui mittentur in timorem, dabuntque gloriam Deo cæli. Omnia hæc in Apocalypſi cap. 11. deſcripta reperiuntur, ex quo etiam colligitur, Hieruſalem fore ciuitatem illam in qua huiuſmodi miracula contingent: dicit enim B. Ioannes, hoſce duos in ciuitate illa magna moriturus, *vbi & Dominus eorum crucifixus eſt*. Nec obſtat eam ciuitatem à B. Ioanne Sodomam & Aegyptum appellari, cùm certo conſtet metaphoricè ac per ſimilitudinem ita appellari, nempe propter abominationes & ſcelera quæ in ciuitate illa tempore perſecutionis Antichriſti perpetrabuntur.

DE VNIVERSALI RESVRRECtione.

CAPVT X.

IN tempore illo quod intercedet à morte Antcihriſti vſque ad Chriſti Domini ad extremum iudicium aduentum quod erit quadraginta quinque dierum (vti ſuprà dictum eſt) apparebunt in Cælis ſigna conſummationis Mundi, ſimulque morientur quotquot adhuc mortalium viuent. Animæ

mæ porrò quæ in Purgatorio detinentur, perſolutis purgationis ſuæ pœnis, ab omni prorſus labe immunes erunt, nec ampliùs exiſtet Purgatorium. Denique eo ipſo tempore audietur tuba illa terribilis ad cuius ſonitum vniuerſum genus humanum reſuſcitabitur.

Verùm, vt ad rem propiùs accedamus, Reſurrectio nihil aliud eſt quàm hominum à morte in vitam reſuſcitatio, cum eadem illa anima & corpore quo in hac vita vixerunt, quæ futura eſt ſub finem mundi paulò ante iudicium vniuerſale, eo modo, vt vbi mors nulla fuit, ibidem etiam nulla ſit reſurrectio.

Hîc dubium quoddam occurrit: quandoquidem conſtat vltimus hiſce extremi iudicij ſignis apparentibus multos in vita ſuperſtites futuros, quos tamen, vt vnà cum alijs reſurgant, mori neceſſe eſt, quomodo & quando eiuſmodi morientur? Soto in 4. ſenten. diſt. 48. quęſt. 1. art. 2. & complures alij dicunt igni illo, qui de cœlo ante ipſum Iudicem deſcenſurus eſt, omnes tam iuſtos quàm impios conſumendos eſſe, vt ſimul cum reliquis reſurgant. Dicunt præterea fore, vt iuſti nulla purgatione indigentes hoc mortis genere, etiamſi medijs flammis conſumantur, diuina tamen mediante virtute, nullum omnino neque dolorem ſen-

tiant neque horrorem; illi verò qui licet iusti quidem, tamen macula aliqua veniali contaminati sunt, aut pœnam aliquam temporalem pro peccatis suis debent, hoc modo per ignem moriendo ab omni prorsus labe purgentur atque abluantur.

Richardus in 4. dist. 47. art. 2. quæst. 5. existimat, iustos eo igne non fore consumendos, dicente S. Scriptura: *Psalmo 96. Inflammabit inimicos eius.* Iusti ergo, quia amici Dei sunt, hoc igne non consumentur: deinde, igne isto in terram descendente iam omnes erunt resuscitati. Dicimus ergo cum B. Ambrosio super 2. ad Thessal. 2. B. Augustino lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 20. & B. Anselmo 1. ad Corinth. 15. iustos in aëra rapiendos obuiam Christo dicente Apostolo: 1. Thess. 4. *Rapiemur obuiam Christo in aera* quo temporis momento suauiter morientur, ac diuina virtute subitò resuscitabūtur. Neque enim purgatione vlla iusti indigebunt, omnes siquidem ex Antichristi tribulatione ac persecutione existent purgatissimi. Et si qui supersunt iniquorum, dici potest eos inter vltima illa iudicij signa morituros, quæ horrenda erunt ob frequētia tonitrua, & lampades atq; ignitas sagittas è cælo decidētes, vel certè dici potest eos consumendos esse primis flāmis istius ignis de cælo lapsuri, moxq; omnes euestigio

gio resurrecturos, vt scilicet, grassante iam per vniuersum incẽdio, ipsi sint resuscitati, quemadmodum dicit Richardus.

Dicet quispiam: si omnes morientur, quomodo verum erit quod in symbolo nostro confitemur Apostolico: *Qui venturos est cũ gloria iudicare viuos & mortuos*? Hac, alijsque similibus authoritatibus Epiphanius Heresi 64 & nonnulli alij commoti, arbitrantur aliquos absque morte ad alteram vitam transituros. Sed hæc sententia non subsistit, cùm S. Scriptura quàm plurimis in locis expresè omnibus semel moriendum esse asseueret. Hinc Psalmista inquit: Psal. 88. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?* Apostolus quoque ad Hebr. 9. huic sententiæ astipulatur dicens: *Statutum est omnibus semel mori, post hoc autem iudicium.* Ad quam authoritatem respondet S. Thomas in supplemento quæst. 78. art. 1. ad 1. dicens quòd inter vltima vniuersalis iudicij signa adueniente Christo ad iudicium aliqui adhuc in viuis superstites reperientur, ac propter hos dici: *Qui venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos.* at illi ipsi antequam Christus ad locum iudicij peruenerit (inquit S. Thomas) morientur, ac deinde, vti superiùs declarauimus, subitò resuscitabuntur.

Iam verò in hac Mundi consummatione

ſingulos homines, quotquot vnquam à principio creationis humanæ extiterunt, eoſdem iterum reſuſcitandos eſſe, vna eſt ex certiſſimis fidei noſtræ aſſertionibus diuerſis in locis S Scripturæ expreſſa ac confirmata. *S.* Iob cap. 19 inquit: *Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circundabor pelle mea.* Iſaias c. 26. ait: *Viuēt mortui tui interfecti, mei reſurgent.* Idem Apoſtolus 1 ad Corinthios 15. paucis indicat, dicens: *Omnes quidem reſurgemus.* illud ipſum quoque apud Ezechielem cap. 37. & lib. 2. Macha. cap. 7. reperitur. Eandem omnino veritatem credendam nobis proponit *S.* Eccleſia in omnibus ſymbolis, in Apoſtolico: *Carnis reſurrectionem.* in Niceno: *Reſurrectionem mortuorum.* in ſymbòlo deniq; Athanaſij: *Ad cuius aduentum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis. S S.* Patres citare ſuperuacaneum eſt, quippe, qui vnanimiter omnes hanc veritatem confitentur. Neque rationes ad hoc confirmandum deſiderātur, requirit enim iuſtitia, vt præmia conſequatur, qui opera præmio digna fecit, veluti iuſtè caſtigatur qui opera perpetrauit punitione digna. Iam vero cùm non ſola anima benè operata ſit, ſed homo, totum videlicet illud ex anima & corpore compoſitum, idcirco etiam præmium toti debetur homi-

homini, sicut & pœna toti debetur peccatori, qui ex anima simul & corpore compositus est. Hinc sequitur omnia ac singula defunctorum corpora resuscitanda iterumq; animabus suis vnienda esse, vt nimirum in extremo Iudicio omnes compareant, in quo bonis præmia, iniquis autem pœnæ retribuentur. Necessarium igitur & conueniens est vt corpus, quemadmodum homini instrumentum extitit in omnibus operibus, ita etiam præmiorum aut pœnarum particeps efficiatur.

DE HIS QVAE AD RESVR- *rectionem necessariò concurrent.*

CAPVT XI.

INter ea quæ ad Resurectionem necessariò concurrent, primùm ac supremum est Deus, tanquam causa efficiens ac principalis: certum enim est Resurrectionem non naturali virtute, sed sola diuina potentia fieri. vnde Christus ex propia authoritate mortuos resuscitando se Deum esse probabat, cum eiusceemodi miraculum non aliunde quàm à solo Deo, aut diuina virtute proficiscatur. Hinc Antichristus, quò se Deum esse hominibus persuadeat, finget se mortuos resuscitare, sed reuera nullos resuscitabit, nam moueri duntaxat aliquantulum

tulum mortuos faciet arte diabolica, vitam verò (vti CHRISTVS faciebat) nemini conferet. Quamobrem Dionysius Areopagita de diuinis nominibus cap. 6. Resurrectionem diuinum vocat mysterium & supernaturale.

Secundò, ad extremum iudicium interueniet ac concurret vox Christi Domini tāquam causa instrumentalis, iuxta illud S. Ioannis capite 5. *Venit hora & nunc est, quandò mortui audient vocem filij Dei.* Et paulò post: *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius.* Sanctus Thomas quæst. 76. art. 2. ad 2. dicit: Quemadmodum vox naturalis dormientem excitat, sic Christi vox mortuos resuscitabit. Hæc autem vox, vt Theologi affirmant, realis erit, articulata, & quæ propriæ vocis nomine nuncupatur, quam vocem verisimile est edituram verba illa quæ beatus Hieronymus in regula monachorum, cap. 30. commemorat, dicens: *Surgite mortui, & venite ad Iudicium*, quæ vox virtute supernaturali ac diuina ab omnibus mortuis, per vniuersas mundi partes percipietur. Ita Cassiodorus exponit versiculum Psalmi istius: *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.* Psalmo 67.

Præter hanc vocem, tubæ audientur Angelorum; præcipuè verò Michaelis Archangeli, cuius sonitus immēsum vniuerso mūdo terrorem incutiet. Omnia hæc à Christo

prædicta sunt apud Sanctum Matthæũ cap. 24. vbi ait: *Et mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis.* S. Paulus etiam 1. ad Cor. 15: inquit: *Canet enim tuba & mortui resurgent incorrupti.* Item 1. ad Thessalonicenses 4. *Quoniam ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.* Aliqui per tubam hîc vocem intelligunt angelicam, quæ ob ingentem sonitus clangorem tuba nuncupatur. Alij autem veram tubam futuram existimant.

Tertiò, ad extremum iudicium plurimi Angeli, tanquam resurrectionis ministri interuenient, qui scilicet ossa ac mortuorum pulueres dispersos recolligent, quò singulæ animæ proprijs suis corporibus iterum vniantur. Vnde B. Gregorius lib. 4. moral. cap. 5. asserit Deum solere in rebus corporalibus Angelorum ministeria vsurpare. Et quia verisimile est, vnumquemque eo in loco resuscitatum iri, vbi totum illius sit corpus aut maior eius pars, hinc etiam probabile est Angelos singulorũ corporum cineres ac partes dispersas eò transportaturos, vbi principaliores dictorũ corporũ partes requiescũt. Si verò corporis alicuius partes ita dispersæ sint vt nullo in loco pars aliqua notabilis eiusdẽ inueniatur, tunc verisimile est

Angelos corporis istius partes recollectas relaturos, ad eum locum in quo homo iste animam expirauit, vt scilicet ibidem etiam resuscitetur, aut certè (quod credibilius esse videtur (partes istas deferent ad locum, in quo habebitur iudicium, ac ibidem etiam resuscitabitur, quippe quò necessario homini est deueniendum, vbicunque tandem locorum resuscitarus fuerit.

Alterum Angelorum ministerium erit homines in diuersis Mundi partibus resuscitatos omnes ad vallem Iosaphat conuocare, vbi iudicium habebitur, secundum illud S. Matthæi cap. 2. *Et mittet Angelos suos cùm tuba et voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum.* Atque huius ministerij, vt ait, S. Thomas quæst. 76. art. 3. ad 2. principalem curam gesturus est Michael Archangelus, tanquam Ecclesiæ Princeps.

Vnde Sanctus Paulus 1. ad Thessalonicenses quarto peculiarem eius mentionem facit, vt qui sit reliquorum quasi Dux & Antesignanus.

QVO

QVO TEMPORE FVTVRA SIT *Resurrectio.*

CAPVT XII.

QVod ad tempus Resurrectionis attinet, in sacris literis habemus eam futuram die nouissimo huius Mundi. Ita inquit S. Iob cap. 19. *In nouissimo die de terra surrecturus sum.* Et Martha ad Dominum ait Ioann. 11. *Scio quia resurget in resurrectione, in nouissimo die.* atque eo ipso die futurum est iudicium. Quare S. Paulus ad Thessalonicēses scribens, aduentum Christi ad iudicium cum ipsa Resurrectione coniungit.

Porrò qua hora futura sit Resurrectio, S. Thomas loco citato, quæst. 79. art. 3 & cōplures alij Theologi dicunt, probabile esse, eam futuram esse summo mane quando videlicet Sol erit in Oriente, Luna verò in Occidente, illa enim hora Christus Dominus noster resurrexisse creditur.

Dicet aliquis, si ita est, cur ergo S. Scriptura inquit diem Domini venturam *sicut fur in nocte?* Cassiodorus in 1. ad Thessal. 5. (vti refert Magister sententiarum) probabiliter concludit ex Authoritate iam dicta Dominum media nocte venturum, ac tum etiam futuram Resurrectionem, splendorē verò, in quo venturus est Christus, tantum futurum, vt quasi meridies esse videatur. At-

tamen probabilius est resurrectionem sub ortum diei futuram, quo tempore cùm resurrexisse constet Christum Caput ac Dominum nostrum, æquum etiam fore videtur, vt eadem quoque hora membra illius resuscitentur. Ad authoritatem S. Pauli respondetur, eum duntaxat significare voluisse, Dominum ex improuiso venturum, nempe *sicut fur in nocte.*

Quæritur hîc, quantum temporis impendetur in Resurrectionem? Respondeo secundum scripturam, resurrectionem quam citissimè & quasi in momento absoluendam esse, dicente Apostolo: 1. Cor. 15. *In momento in ictu oculi, & mortui resurgent incorrupti.* Iam verò, vtrum per illud momentum instans & momētum simplex intelligendum sit, aut tempus breuissimum & quasi imperceptibile, sacræ literæ nō expresserunt. Durandus in 4. sentent. dist. 43. quæst. 4. negat eam in simplici instanti futuram, pulueres siquidem & dispersæ corporum partes Angelorum ministerio colligentur motu locali, qui cùm succcessiuus sit, fieri in vno instanti non potest resurrectio. Restat ergo resurrectionem quàm breuissimo tempore summaque velocitate perficiendam esse, vti idipsum etiam declarat S. Augustinus lib. 20. de ciuit. Dei, c. 20.

DE QVALITATIBVS AC CONDITIONIBUS *corporum Iustorum post Resurrectionem.*

CAPVT XIII.

ANtiqui nonnulli Hæretici, vt S. Thomas commemorat lib. 4. contra Gentes capit. 48. existimauerunt Iustorum corpora post resurrectionen non futura verè naturalia ac palpabilia, sed aërea potius, spiritualia, ac ipso vento subtiliora. In his fuit Eutychius Episcopus Constantinopolitanus, cum quo Constantinopoli disputauit S. Gregorius Magnus in præsentia Imperatoris Tiberij Constantini Augusti, ita vt eum non conuinceret tantùm, sed etiam ab errore isto liberaret, vti refert ipse Gregorius lib. 14. c. 31. & 32. Ratio, Cui hæretici istir innitebantur, hæc erat, quia videlicet Apostolus 1. ad Corinthios 15. dicit surrecturum corpus non animale sed spirituale, subiungensque causam inquit: *quia caro & sanguis regnum Dei possidere nō possunt.* Ergo Beatorum corpora alterius naturæ ac diuersæ conditionis futura sunt.

Veritas autem catholica est Iustorum corpora post resurrectionē futura naturalia, humana ac palpabilia. Hinc ait cap. 19.

Iob: *Rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Similiter dicebat Christus apud S. Lucam capite vltimo discipulis suis de veritate corporis sui dubitantibus: *Palpate & videte quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Episcopus item ille & Patriarcha Eutichius à S. Gregorio (vti iam dictum est) erroris sui conuictus & morti vicinus pellem suam manu contingens aiebat: *Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus.*

Ad authoritatem illam Apostoli respõdeo, corpora beatorum resurrectura spiritalia, non quasi illorum natura immutetur, sed propter dotes quibus ornabuntur: splendentia enim erunt & agilia, subtilia, & impassibilia, atque hinc est quod Apostolus dicat ea futura spiritalia, quæ dotes corporis humani naturæ nõ contrariantur, sed vna cum illo subsistere possunt. Ad rationẽ verò illam quæ subiungitur: *quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt,* Respondeo, per carnem & sãguinem vitam deprauatam ac malam carnis inclinationem intelligendam esse, quemadmodum Geneseos 6. cap. dictio illa *caro* accipitur, vbi dicit Deus: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* In eadem planè significatione

carnis vocabulum accipit S. Paulus ad Corinthios dicens: *Caro & Sanguis Regnũ Dei possidere non possunt.* Non tamen idcirco negat corpora humana secundum naturalem suam conditionem beata esse non posse.

Dico ergo Iustorum corpora resurrectura splendentia, integra, pulchra, & ab omni deformitate exempta, licet in hac vita etiam deformia ac membro siue sensu aliquo priuata & mutilata fuerint. Atque hoc ex multis S. Scripturæ locis ostenditur, nam Sapientiæ 3. dicitur *Fulgebunt iusti.* Et 1. ad Corinth. 15. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Item Sapiens cap 5. ad significandum Iustorum post resurrectionem decorem, inquit: *Accipient regnum decoris & diadema speciei de manu Domini.* Sancti Patres idem planè affirmant, vt B. Augustinus in Enchirid. suo capite 91. vbi ait corpora nostra resurrectura sine omni vitio ac deformitate, *sicut sine vlla corruptione, onere, & difficultate.* Et lib. 22 de ciuit. Dei cap. 19. & 20. asserit Martyribus post Resurrectionem nullum defuturum illorum membrorum, quæ à Tyrãnis eis fuêre præcisa, iuxta illud Luc. 12. *Et capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Dicit præterea Martyrum cicatrices remansuras quidem, sed cum dignitate ac decore tanquam signa & perpetua heroicæ virtutis indicia

dicia. Adhæc corpora nostra futura sunt, neque macie, neque pinguedine nimia deformia, sed iusta carnis proportione decora, colore item nigro seu albo, prout maximè illis videbitur conuenire. Denique etiã omnibus ijs rebus erunt instructa, quæ ad ornamentum erunt necessaria, tametsi veræ corporis partes non sint, veluti capillis, barba, cilijs, vnguibus, ac similibus, idque in debita ac conuenienti quantitate. In summa, *fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*. Matthæi.13.

Secundò, post resurrectionem corpora nostra non amplius morti aut morbis erũt obnoxia, vti malè credebat Origenes, sicut de illo refert Theophilus Alexandrinus l.2. Pascalis. Probatur autem ex S. Scriptura, quæ dicit: *Seminatur in corruptione, surget in corruptione, Mortui resurgent incorrupti*. Et, *oportet mortale hoc induere immortalitatem*. 1. Cor. 15.

Tertiò, omnes resurgent in ætate virili, qualis nobis est ætas triginta circiter annorum. Ita communiter credunt Theologi in 4. sent. dist. 44. & probant ex illo Apostoli ad Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in virũ perfectum, in mensurã ætatis plenitudinis Christi*. Sanctus Augustinus idem confirmat lib. 22. de ciuit. Dei, c.15.

Quartò, quod ad staturam attinet, cõmunis est opinio, omnes eius quantitatis ac statu-

turæ

turæ futuros, ad quam ſecundum naturalẽ ſuum temperamentum quiſq; perueniſſet, ſi nullum obſtitiſſet impedimentum. Quare ætatis quidem omnes erunt eiuſdem, ſed ſtaturæ differẽtis. Nam vnus altero erit procerior, ſed tamen citra deformitatem, ideoque Apoſtolus inquit, omnes reſurrecturos non *in menſuram ſtaturæ* ſed *in menſuram ætatis Chriſti.* Et hæc omnia de corporibus Iuſtorum intelligenda ſunt, de corporibus enim impiorum inferiùs ca. 16. diſſeremus.

Quintò, certum eſt in omnibus tàm iuſtis quàm improbis ſexus differentiam ſeruandam eſſe, neque omnes ſurrecturos in ſexu virili, quemadmodum exiſtimauêre nonnulli, quos refutat S. Auguſtinus l. 21. de ciuitate Dei capite 17. Item Guido Carmelita aſſerit, Armenios etiam in ſimili errore fuiſſe, qui verbis iſtis Apoſtoli ad Romanos 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui*, permoti, dixerunt omnes reſurrecturos maſculos, Alioquin enim Chriſto non futuros ſimiles. Quod falſum eſſe apertè ex Chriſti verbis conuincitur, quibus Sadduceis quærentibus, cuius viri vxor futura eſſet mulier, quæ ſeptem maritos habuiſſet? non reſpondit in reſurrectione omnes maſculos futuros, ſed dixit Matth. vigeſimo ſecũdo: *In reſurrectione neq;*

nubent

nubent neque nubentur. Quo responso præsupponitur viros pariter futuros ac mulieres, sed *non nubent neque nubentur.* ostenditur illud præterea hac ratione: cùm enim secundum *S.* Augustinum loco citato, post resurrectionẽ in corpòribus humanis omne illud sit remansurum, quod naturale est, solis defectibus suppletis ac emendatis, necessarium est sexum fœmininum remanere, vtpote, qui nõ est defectus sed natura. Adde nisi in eodem sexu resurgeret homo in quo conceptus est, iam non idem resuscitabitur qui mortuus est, sexus enim propriè pertinet ad personam tanquam res naturalis & à natura prætensa. In eadem sententia sunt omnes Theologi in 4. sentent, dist, 44. Itẽ SS. Patres, vt Tertulianus de resurrectione c. 6. B. Hieronym. epist. 27. & 61. B. Augustinus lib. 22. de ciuit. Dei c. 17. & plures alij: Ad fundamentum autem & rationem huius erroris respondendum est, Apostolum loqui non de sexus conformitate, sed de ea conformitate quæ in gratia, meritis, & gloria consistit.

(∴)

DE DO-

DE DOTIBVS QVIBVS BEAtorum corpora prædita erunt

CAPVT XIV.

DOtes, quæ in ornamentum erunt corporibus Beatorum, quatuor ſunt, ſubtilitas, impaſſibilitas, Agilitas, & claritas, quarum ſacræ literæ varijs in locis meminerunt. Ac primò quidem ſubtilia & ſpiritalia futura eſſe ex Apoſtoli verbis 1. Cor. 15. perſpicuum euadit: *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale* Iam quomodo illud intelligendũ ſit, præcedẽti capite declarauimus. Deinde corpora noſtra fore impaſſibilia, eodẽ loco demõſtratur. *Seminatur in corruptione, ſurget in corruptione, ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* Adhæc de agilitate dicit Sapiens: c. 3. *Tanquã ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Item Iſaias: c. 40. *Current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* quòd non minùs de agilitate quàm impaſſibilitate poteſt intelligi. Denique de claritate illorum ait S. Matthæus cap. 13. *Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol in Regno Patris eorum.*

S. Thomas in ſupplemento quæſt. 84. art. 1. & alibi, ait ab anima beata certam aliquã qualitatem ſupernaturalem redundaturam in corpus, quæ illud ipſum beatum efficiet ac glorioſum iuxta illud Apoſtoli ad Cor. *Surget in gloria*, Etſi autem in hac vita nequa-

quam

quam perfectè intelligamus qualiter id fieri possit, sicut idem Apostolus 1. Cor. 2. inquit: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum*, nihilominus tamen aliqui arbitrantur qualitatem istam, quæ corpus efficiet gloriosum, non ab anima prouenturam, nec ab animæ beatitudine, sed ab ipso Deo accessuram corpori animæ beatæ vnito. *P*ræterea ita hæc qualitas corpus disponet, vt illud ipsum animæ beatæ in omnib⁹ subiectũ reddat, vti docet S. Thomas loco citato. Atque ex hac subiectione, qua animabus ita absolutè corpora subijciũtur, plurimæ corporibus dotes nascuntur, de quibus particulatim agemus.

Primò, igitur subtilia erunt corpora ac spiritalia, non quidem ita vt ipsa corpora spiritus efficiantur, quemadmodum falso quidam arbitrati sunt, quos refutat S. Augustinus lib. 13. de ciuitate Dei cap. 22. neq; aërea, vt putauit Eutychius, quem refutauit S. Gregorius l. 14. moral. cap. 31. erunt enim palbabilia, vti corpus Christi post resurrectionem; sed spiritalia dicuntur propter dotes spiritales quas habebunt, sicut præcedẽti capite declarauimus. Dico præterea cum Sancto Thoma in supple. quæst. 83 articulo primo corpora spiritualia propterea dici, quòd spiritui in omnibus planè subijciẽtur.

Et

Et ſicut aqua & aër, eò quòd varijs formis accommodari queant, corpora ſubtilia ac ſpiritualia dicuntur: ita etiam Beatorum corpora, quia animabus iam beatis per omnia conformabuntur, dicentur habere donum ſubtilitatis.

Secundò, corpora Beatorum impaſſibilia erunt, quæ impaſſibilitas illis ex eadem proueniet ſubiectione, qua corpora animabus (vt diximus) ſubijcientur, quæ ita corpora conſeruabit, vt nullum in eis prædominari poſſit contrariorum, vnde nec amplius alterabuntur, nam ceſſante generatione ac corruptione, omnis pariter ceſſat alteratio. De ſenſibus inquit Sanctus Thomas loco citato quòd eorum vſus vigebit, vnuſquiſque enim videbit, audiet, &c.

Verùm hic vſus ſenſuum ſemper erit iucundus, ſuauis, & liber ab omni moleſtia & alteratione.

Et quamuis plenè ac perfectè intelligere non poſſimus, quomodo ſenſuum operationes in hac vita exerceri queant; nihilominus tamen exerceri eas firmiter nobis credendum eſt: Deus ſiquidem multa ſupplebit quæ intellectu noſtro capere non poſſumus. De guſtu porrò, an poſt reſurrectionem quoque illius aliquis futurus

ſit vſus, dubitatur, communis ſententia eſt nullum eius vſum futurum, eò quòd nulla tunc erit nutritio, cuius fine guſtus à natura eſt inſtitutus, quippe cùm corpus animale eſſe deſinat. S. Thomas tamen exiſtimat etiam tunc guſtum aliquem corpora habitura propter humiditatem illam quæ in palatio eſt & lingua.

Tertiò, etiam agilia erunt corpora glorioſa, nam libera ac ſoluta erunt ab omni grauitate & pondere quo nunc aggrauantur: & quia animabus erunt ſubditiſſima per quas mouentur, hinc fiet vt quàm velociſſimè ſint vbi animæ volent. Ita ſentit S. Thomas in ſupplem. qu. 84. ar. i. & S. Auguſtinus lib 22. de ciuit. Dei cap. 30. dicit: *Certè vbi volet ſpiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid ſpiritus, quod nec ſpiritũ poſsit decere nec corpus.* His iam dictis dotibus principaliter verò virtute diuina. Theologi exiſtimant corpora glorioſa etiam per alia corpora poſſe penetrare, per muros quoque ac ianuas clauſas citra omnem difficultatem & læſionem ambulare, vti ſcriptura Ioan. 20. de Chriſto atteſtatur, qui *ianuis clauſis* intrauit ad diſcipulos. Neque hæc inferiora ſolùm corpora, ſed Cælum etiam Empireum penetrare poterunt, ſicut autumat Soto in 4. ſententiarum diſt. 44 queſt. 4. art. 7. Vbi notandum S. Thomam loco citato

tato quæst. 83. art. 4. dicere vnum corpus gloriosum alterum non penetraturum, indecens enim hoc futurū esset, neque vnum alteri sese oppositurum, sed alterum semper alteri cessurum.

Quartò, Beatorum corpora clara erunt ac splendentia, quorum splendor fortassè procedet à gloria animæ beatæ, aut certè, iuxta doctrinam Theologorū, Deus claram aliquam lucem producet in corporibus Beatorum, quæ corpora gloriosa lucentia efficiat ac clarificet. Et S. Thomas loco citato quęst. 85. asserit eam lucem etiam ab oculis non glorificatis videri posse. Verùm tamen est (vti affirmat idem S. Thomas art. 3. & 6.) beatos, si videri nolint, non videri, cuius rei exemplum habemus in Christo, qui apparuit duobus illis discipulis abeuntibus in Emaus, ait enim Euangelista Lucas cap. 24. *Oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent.* quia Christus tunc ab ijs cognosci noluit. Similiter etiam penes arbitrium Beatorum erit cognosci aut non cognosci ab alijs, tangi vel non tangi, prout ipsis collibuerit,

Postremò sciendum est hasce dotes non futuras æquales in omnibus Beatis, sed sicut vnus altero magis erit beatus, ita etiam hæ dotes in vno maiores erunt quàm in altero, quemadmodum etiam illud S. Paulus attestatur dicens: *Stella à stella differt in claritate*

tate, sic & resurrectio mortuorum. 1. Cor. 15.

DE AVREOLIS BEATORUM.

CAPVT XV.

AVreola nihil aliud est quam præmiũ aliquod accidentale quod speciatim aliquibus Beatorum confertur in remunerationem insignium ac egregiorum operum quæ perpetrauerunt, simulque in laudem insignium victoriarum, quas aduersus inimicos suos obtinuêre, adeò vt aureola dici possit corona qua milites ac indefessos pugiles suos coronat Deus. Videtur autem nomen illud aureolæ desumptum esse ex c. 25. Exodi, vbi dicitur: *Facies & alteram coronam aureolam*.

S. Thomas in supplemento quæst. 96. art. 10. ait præmium illud accidentale, aureolam videlicet, ad animam beatam pertinere, quippe cùm nihil aliud sit quàm gaudiũ quoddam & lætitia, quæ animæ nascitur ex obtentis contra inimicos victorijs, quali lætitia sola anima frui potest. Nihilominus tamen tale gaudium etiam in ipsum corpus beatum redundabit, quod certo quodam modò etiam aureolæ istius particeps efficietur, vti videlicet in pugna & obtinenda victoria eidem quoque adiumento fuit.

Aureo-

Aureola autem hæc triplex eſt. Vna Martyrum, altera Virginum, tertia Doctorum. Prima Martyribus confertur in laudē Martyrij, quo mundus vincitur, dum per hos mundana hæc vita amore Dei contemnitur, & poſtponitur amori Creatoris. Altera aureola in laudem eſt virginitatis, qua caro infeſtiſſimus ac domeſticus hoſtis noſter vincitur & ſuperatur. Tertia denique aureola inſeruit laudi Doctrinæ qua mediante ſuperatur Diabolus, quia vera doctrina plurimi à fraudibus & fallacijs Diaboli ſunt liberati. Hæc doctrina eſt S. Thomæ loco citato, aliorúmque Theologorū in 4. ſ. diſt. quadrageſimo ſexta.

Quòd ſi hæ aureolæ eodem ordine inter ſe comparentur, videbimus vnam alia longè excellentiorem eſſe ac digniorem. Nam ſicut Martyrum vnus alio celebrior eſt & illuſtrior etiam in ipſo actu Martyrij, itē virginum vna altera eſt excellentior, ſimiliter etiam Doctorum alius alium multis partibus excedit: ita quoque aureolarum maxima erit diſcrepantia, id eſt, Martyrum alius alio aureolam habebit longè illuſtriorem, ac perfectiorem lętitiam. Pari ratione etiam inter Virgines, ac Doctores alij, alijs aureolam habebunt inſigniorem. Quòd ſi verò hæ tres aureolæ inter ſe diuerſo ordine conferantur, dico cum Sancto Thoma

quæſt.

quæst. 96. art. 12. dignissimam harum omnium esse Martyrij aureolam, perinde ac Martyrij meritum Virginitatis ac Doctrinæ meritis est excellentius. Vnde *S.* Augustinus lib. de sancta Virginitate inquit *Neminē ausum fuisse virginitatem præferre Martyrio.*

Harum aureolarum subinde in sacris literis frequens mentio est, vt Apocalypseos cap. 2. *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit. nisi qui accipit.* Quod de gaudio illo accidentali intelligendum est, quod nemo cognoscet nisi qui experietur. Isaias quoque de Eunuchis loquitur cap 56. dicens: *Dabo ijs in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & à filiabus.* Quem locum *S.* Augustinus citato loco de sancta virginitate intelligendum esse dicit de gloria quæ virginibus cōcedetur in speciale præmium virginitatis. Denique de Doctoribus ita Daniel Propheta cap. 12, ait *Qui autem docti fuerint, fulgebūt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Et S. Matthæus c. 5. inquit, *Qui autē fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cælorum.*

Quo in loco diligenter annotat *S.* Thomas art. 7. aureolā istam non conferri Doctoribus eò quòd doctrinam & scientiam

habuerunt

habuerunt, ſed quia alijs eandem docendo communicauerunt, quod etiam inſinuat S. Matthæus, dum dicit: *Qui fecerit & docuerit*, quemadmodum videlicet corona non datur pugnandi artem habenti, niſi & reipſa certauerit, Ita S. Paul. ait 1. ad Timotheum. 2. *Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit.*

DE CONDITIONE CORporum damnatorum

CAPVT XVI.

CIrca corpora Damnatorum illud primum occurrit dubium, an videlicet cũ ijſdem defectibus reſurrectura ſint quos in hac vita habuerunt, id eſt, an qui hic cæcus, claudus aut ſenex fuit, etiam reſurrecturus ſit cæcus, claudus, aut ſenex? S. Auguſtinus cap. 92. Enchiridij ſui ab hac quæſtione ceu ſuperuacanea nos adhortatur deſiſtere ſequentibus verbis: *Fatigare nos inquirendo non debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorũ erit certa & ſempiterna damnatio.* Durandus in 4. ſent. diſt. 44. quæſt. 2. art. 3. exiſtimat damnatorum corpora cum ijſdẽ deformitatibus reſurrectura quas in hac vita habuerint, vtpote quæ infelicem illorũ ſtatum non dedeceant. Et quod S. Paulus ad Corinth. dicit: *Mortui reſurgent incorrupti*, non ita intelligendũ eſt quaſi ſine omni

defectu resurrecturi sint, sed in corruptibitatem & immortalitatem eorum significat, quæ nihil prohibent quò minùs priores etiam deformitates remaneant. Quæ Durādi sentētia etsi nō improbabilis sit, consultiùs tamen videtur sequendo S. Augustini sentētiam eam quæstionem dubiam atque indiscussam relinquere.

Secundum dubium circa hanc materiā illud est, an nimirum corpora damnatorū à resurrectione futura sint incorruptibilia nec ne? Respōdeo, quanquam ex natura sua quidem corruptibilia sint, siquidem ex cōtrarijs sunt conflata, tamen nullo vnquam tempore sunt interitura, vt videre est ex cap. 25. S. Matthæi: *Ibunt in supplicium æternum*, quod supplicium æternum esse nequaquam potest, si damnatorum corpora morte etiam consumi possent. Adhæc dicitur expresse Apocalypseos cap. 9. *Quærunt homines mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Verùm hinc illud oritur dubium, si corpora humana etiam post resurrectionem natura sua mortalia erunt ac corruptibilia, cur tandem ea à corruptione ac morte præseruabit? S. Thomas in supplem. quæst. 6. art. 3. & lib. 4. contra gentes ca. 89. tres assignat caussas, quarum prima ac principalis Dei voluntas est & ordinatio, qua volet Deus vt nunquā consumantur ac moriantur corpora scele-

ratorum, quò ſcilicet perpetuis affligantur tormentis. Altera cauſa erit ceſſatio motus Cæli, ſine quo non ſecundùm S. Thomæ duntaxat ſententiam, ſed omnium etiam Philoſophorũ in inferioribus hiſcè naturis nulla omnino ſubſiſtere poteſt corruptio aut actio, quod luculentiſſimè probat Soto in 4. ſentent. diſtinct. 48. quæſt 2. articul. 2. Tertia demum cauſa erit perfecta illa ſubordinatio, qua corpus ſubordinatur animę, quæ ipſum corpus ab interitu præſeruabit in Beatis nimirum virtute gloriæ, in damnatis verò diuina voluntate. Atque ita illud Sancti Pauli intelligendum eſt: *Omnes quidẽ reſurgemus, ſed nõ omnes immutabimur.* nã Beati ſolũ per donũ gloriæ, quod intrinſecus fit, immutabuntur. Animaduertendũ verò hîc eſt damnatorum corpora, etſi ab omni morte ac interitu ſint immunia, non tamẽ idcirco impaſſibilia etiã futura, qualia erũt corpora Beatorum, patientur enim pœnam ſenſus, & æternis gehẽnę ignibus citra omnẽ remiſſionẽ cõflagrabũt. Et hoc eſt quod S. Ioan. in Apoc. c. 9. inquit: *Et fugiet mors ab eis.* Tertiò queritur, an dãnati prętet pœnã ignis alia etiã in corpore tormenta ſint experturi? Ad quã quęſtionẽ reſpõdeo quòd ſic, quia in S. literis habemus quod in Inferno erit fletus, eiulatus, ſtridor dẽtiũ, & tenebrę, vt videre eſt apud Matt. 8. & 22. itẽ S. Gre

 gorius

gorius lib. 9. moral. cap 46. & 48. aiunt ignem infernalem non lucidum futurum, sed obscurum valde, quod maximum etiam damnatis horrorem incutiet, atque hæ sunt tenebræ exteriores, vti annotat S. Augustinus in Psal. 6.

Adhæc etiam singuli sensus proprias suas pœnas & afflictiones patientur, v. g. Visui in pœnam erit confusionem & infernalia illa monstra videre, Auditui pœnam infligent clamores isti desperationis, Odoratus sulphuris aliorumque fœtorum graue olentia affligetur, Gustus infernalis fumi amaritudine cruciabitur, Tactus denique pœnam recipiet à perpetuis gehennæ flammis. Quare Propheta Psal. 10 inquit *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Idem illud dicitur Apoc. cap 18. *in poculo quo miscuit, miscite ei duplum, quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

Deinde etiam à vermibus discruciabuntur Damnati, nam (præter vermem conscientiæ, qui internus est cõscientiæ remorsus, qui perpetuò eos corrodit) S. Prosper. lib 3. de vita contemplatiua cap. 12. in Inferno inter alias pœnas etiam vermes reales futuros esse affirmat, qui damnatis non exigua adferent tormenta. Item Innocentius 3. de contemptu Mundi cap. 2. dicit in

Inferno

Inferno vermes alios cor, alios verò corpus corroſuros. Idem etiam confirmatur ex capite 16. Iudith: *Dabit ignem & vermes in carnes eorum.* Et Eccleſiaſt. ca. 7. inquit. *Vindicta carnis impij ignis & vermis.* Quanquam verò eiuſmodi vermes in Inferno naturaliter neque generari neque conſeruari poſſint; nihilominus tamen certum eſt in pœnam damnatorum ac rebellium generari ſimul ac conſeruari poſſe. Abulenſis etiam in Matthæum cap. 25. qu. 55S. ſcribit maximè probabile eſſe damnatos in Inferno intenſiſſimis quoque frigoribus affligi quod *ſtridor dentium* ſignificat. quo ſenſu multi etiam illud S. Iob intelligendum exiſtimant: *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium.* Iob. 24.

Quartò quæritur an damnati viſuri ſint gloriam Beatorum oculis corporeis? Reſpondeo in vniuerſali Iudicio extra omnẽ dubitationis aleam eos viſuros gloriã corporum Beatorum. Et hæc eſt communis Theologorum ſententia in 4. ſentent. vnde non ſine maxima afflictione dicent: *Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.* Videbunt prætereа gloriam humanitatis Chriſti, *in quem transfixerunt.* At vbi iam in Inferno occluſi fuerint, Beatorum gloriam nõ amplius videbunt oculis corporalibus, ſed eorũ dun-

taxat recordabuntur, & secum apud intellectum suum reputantes quod & ipsi eadē potiri potuissent, quam nunc momentaneis peccatis suis perdiderunt, incredibili pœnitentia excruciabuntur.

DE IVDICIO EIVSQVE FORMA, *item de Iudice, & quando venturus sit ad Iudicium.*

Quo in loco vniuersale Iudicium futurum sit.

CAPVT XVII.

CVm ex symbolo nostro Apostolico certò sciamus in terra vniuersale Iudicium esse futurum, in illo siquidem confitemur: *Qui venturus est iudicare viuos & mortuos.* Reliquum nunc est, vt in qua parte terræ habendum sit, breuiter discutiamus. S. Thomas in 4. sent. dist. 47. & 48. & communiter cum illo alij omnes Theologi Iudicium in valle Iosaphat futurū existimāt, quæ inter Ierusalem est & montem Oliueti, cuius opinionis fundamentum sumpserunt ex Prophetia Ioëlis cap. 3. dicentis: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis.* Et paulò post: *consurgant & ascendant gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu.* Et licet hæc sententia à Magistro sen-

ſententiarum & Alexandro Ales non approbetur; communiter tamen ab omnibus ferè Theologis approbetur, ideoq́ue maximè ſequenda.

Notandum hîc eſt, quando dicitur fore vt in valle Ioſaphat omnes iudicentur, non ita illud intelligendum eſſe, quaſi Chriſtũ Dominum noſtrum deſcendere oporteat in terram, atque in illius ſuperficie thronũ ſuum collocare. Nam expreſſè dicit S. Paulus 1. ad Theſſal. 4. iuſtos reſuſcitatos rapiẽdos in aëra obuiam Chriſto. Ergo in aëre erit Chriſtus ſupra ipſam vallem Ioſaphat. Conueniens etiam eſt Iudicem locum occupare eminentiorem, tùm propter Maieſtatem ſuam, tum etiam vt in omnibus videri atque audiri poſſit. Atque ita reprobi ſolùm in terra remanebunt, Chriſtus verò cum Electis erit in aëre ſupra vallem Ioſaphat.

Dicet aliquis, ſi ita eſt, quomodo verum erit illud S. Matthæi: *Statuet oues à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris*? S. Hilarius in can. 28. & S. Anſelmus ſuper Matthæum capite vigeſimo quinto dicunt per manum dextrã felicitatem ac Beatitudinem, per ſiniſtram autem Inferni miſerias eſſe intelligendas.

Obijciet hîc quiſpiam, vallis Ioſaphat exigui ſpacij locus eſt, quomodo ergo capiet tãtam damnatorum multitudinẽ? Reſpon-

deo eos etiam loca valli Iosaphat contigua & vicina occupaturos. quoniam verò vallis Iosaphat principalis erit locus Iudicij supra quem stabit Iudicis thronus, hinc est quod Iudicium in valle Iosophat dicatur esse futurum. Dices fortassis, si Damnati stabunt in locis circumiacentibus & longinquis, quomodo Iudicem videre & audire poterunt? Respondeo, tantum futurum Christi splendorem ac vocem, vt à remotissimis etiam quàm facillimè videri atque audiri possit.

Causæ verò, ob quas Deus hunc locum præ reliquis omnibus Iudicio potissimum voluerit destinare assignari hæ possunt, nēpe quòd hic locus vicinus sit ciuitati Ierusalem, vbi Christus pro nobis supplicia pertulit, vicinus item est monti Oliuarum, ex quo in Cælum ascendit, nec non mundi Caluariæ proximus, in quo patibulo crucis affixus est. Deinde etiā quia circa hāc vallem ea loca sita sunt, in quibus Christus salutem nostram operatus est. Quapropter quantum occasionis ex hisce locis captabunt iusti ad agendas diuinæ Maiestati gratias pro Christi sanguine ibidem effuso, & sanctissimæ illius passionis meritis, per quæ participes facti sunt gloriæ cælestis: tantundem etiam confusionis eadem loca peccatoribus allatura sunt, in quibus tanta

pro

pro salute ipsorum Christus perpessus est, cuius sacratissiimæ passionis ac mortis fructum ipsi neglexerunt ac contempserunt Adhæc etiam æquum est, vt eo in loco Christus vniuerso Mundo gloriam maiestatis, suæque potētiæ magnitudinem demonstret, in quo tantis opprobrijs ac contumelijs affectus fuit.

DE IVDICE ET EIVS *aduentu.*

CAPVT XVIII.

IVdex in hoc vniuersali iudicio extra omnem controuersiam futurus est Dominus noster Iesus Christus, non vt solus Deus, verumetiam vt verus homo. Hæc fidei nostræ veritas diuersis in locis S. Scripturæ expressa est ac confirmata. S. Ioannes. cap. 5. ait. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est* Idem S. Matthæus confirmat cap. 16. dicens: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.* Idem quoque pluribus in locis asserit D. Paulus, inquiens : *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi* 2 Cor. 5. & Rom. 10.

S Augustinus super verba illa *S. Ioannis: Neque Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio.* dicit, Patrem etiam simulque

que Spiritum S. iudicare, sed in forma Dei & in occulto, quòd Christi etiam verbis significatur Ioan. 8 vbi ait: *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet*, Pater nimirum & Spiritus sanctus: Filius verò solus iudicat in forma hominis visibili ac manifesta. Atque hoc modo omnia S. Scripturæ loca intelligenda sunt quæ dicunt Filiū solum Iudicem futurum, nempe in forma visibili ac manifesta.

Dicet quispiam, ad iudicandum genus humanum non esse necessarium Christum è Cælo descendere in terram, quia idem etiam in Cælo existens sententiam dare, & suam vnicuique sortem ac conditionē declarare potest, vti fieri diximus in Iudicio particulari. Dico hæc omnia à voluntate & ordinatione diuina dependere: cùm autem nobis reuelatum sit Christum è Cælo venturum ad iudicandum, superuacaneum est præter ordinationem diuinam alias huiusce rei causas inquirere. Quanquam etiā rationes aliquæ assignari queant, propter quas vniuersale *Iudicium* in terra fieri potissimum conueniat. Primò namque æquū esse videtur, vt vbi pugnatum est, ibidem etiā publica sententia victor laudetur. *Præterea* quoque omnes iudicandos simul in vnum congregatos esse conuenit, & *Iudicē* ab omnibus videri et audiri, quò scilicet Ma-

iestatis

ieſtatis ſuæ præſentia bonis omnibus gaudium afferat & alacritatē, impijs verò horrorem incutiat, atque ideò in terra Iudiciū fieri conuenit. Deinde etiam æquum eſſe videtur vt Dominus eo in loco iuſto iudicio alios iudicet, in quo ipſe iniuſtè ab alijs iudicatus fuit ac condemnatus.

Si quis quærat, quo die quaue hora Chriſtus ad iudicium eſt venturus? Reſpondeo neutrum horum certò ſciri poſſe, vti nec certi quicquam de anno aut eius parte affirmari poteſt, quippe cùm id neque per ſacras literas, neque vllo alio modo nobis reuelatum ſit. Attamen Lactantius lib. 7. cap. 19. aſſerit Dominum venturum die Dominico eadem hora qua à mortuis reſurrexit: verū nullam eius rei aſſignat rationē vel authoritatem: Quamobrem, cum vnuſquiſque aſtruere poſſit Chriſtum illa die & hora vēturum qua vel in Cælum aſcendit, aut ab hominibus iudicatus fuit, illud tantummodo certum eſt nihil hac de re ſciri vel affirmari poſſe

(∴)

DE IGNE QVI IVDICIVM antecessurus est.

CAPVT XIX.

IGnem Christum Dominum nostrum antecessurum, quando scilicet de cælis adueniet iudicare nationes Mundi, ex varijs S. Scripturæ locis manifestè demonstratur. Regius Propheta Psalm.96.inquit: *Ignis ante ipsum præcedet*. Et Isaias: cap.66. *Dominus in igne veniet*. S. Paulus ad Corint. ait: *Dies Domini declarabit, quia in igne reuelabitur*. Item Ecclesia de Christo inquit: *Qui venturus est iudicare sæculum per ignem.*

De hoc igne dubia aliqua nascuntur, ac primò quidem quæritur, sitne verus ignis futurus, an verò metaphoricus tantùm, id est aliquid quod propter similitudinem ignis dicatur? Plurimi SS. Patrum authoritates allatas metaphoricè explicant, ac per ignē ipsum Christi aduentum intelligunt, qui igni multis in rebus effectu erit persimilis. Primò, quemadmodum ignis non seipsum tantùm, sed & res alias manifestat: ita etiā hic Christi ad iudicium aduentus omnibus erit manifestus, non autem secretus aut occultus qualis primus ille aduentus fuit, ac propterea dicitur de Christo quòd *in igne veniet*, id est non occultè sed manifestè. De-

inde

inde etiam per ignē significatur in iudicio omnia, quantumuis secretissima peccata, clara omnibus ac manifesta futura. Secundò, sicut igni proprium est accendere & cōsumere: ita etiam maximo zelo hic Iudex accendetur in vindictam impiorum, vti Dauid futurum prædixit. Psal 78. *Accendetur velut ignis zelus tuus.* Tertiò, naturale est igni vnam rem ab alia separare ac diuidere: vnde cùm Christus bonos a malis sit separaturus, hinc de ipso dicitur: *In igne veniet.* Omnia hæc desumpta sunt ex S. Cypriano de bono patientiæ, ex S. Hieronymo in Isaiam cap. 66. ex S. Augustino lib. 20 de ciuit. Dei cap. 21. ex S. Ambrosio in Psal. 118. denique ex Origene contra Celsum.

Communis Theologorum in 4. sent. opinio est, hunc ignem, qui aduentum Iudicis præcedet, non metaphoricum, sed verè realem ac sensibilem futurum. Et hæc sententia firmiter retinenda est, quippe cùm S. Petrus epist. 2. cap. 3. hunc ignem aquis diluuij comparet, quæ vt sua inundatione totum Mundum destruxerunt; ita etiam hic ignis omnia dissipabit. Iam verò quemadmodum aquæ diluuij non metaphoricæ aut per similitudinem, sed veræ ac naturales aquæ fuerunt: sic etiam ignis iste, in quo Christus veniet ad iudicium, verus ignis futurus est. Adde, cùm nihil absurdi sequatur

ſi ignem iſtum verè naturalem futurum eſſe dicamus, idcirco in propria ſignificatione accipiendus eſt. Atque hoc modo etiã illud Eccleſiæ intelligendum in officio defunctorum, vbi de Chriſto inquit: *Qui venturus eſt iudicare ſeculum per ignem.*

Secundò quæritur cuiuſcemodi naturæ ignis iſte futurus ſit? Reſpondeo illum eiuſdem fore naturæ cum igne infernali, corporeum videlicet, & diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum. Aliqui ipſum eandem formam cũ igne elementali habiturum arbitrantur.

Tertiò dubitatur vnde ignis iſte venturus ſit, & quomodo? Aliqui iuſſu diuino ex Inferno eum exiſtimant prouenturum. Alij ex ſphæra ignis elementalis eundem delapſurum arbitrantur. Alij denique autumant ipſum ſubitò in terra generatum iri ex nimia vaporum & exhalationum abundantia. Omnia hæc probabilia ſunt & indifferenter ab vnoquoque teneri poſſunt.

Quartò quæritur, quo tempore ignis iſte venturus ſit? Nonnulli putant ipſum Iudicis aduentum anteceſſurum, idque paulò antè quàm generali morte omnes homines conſumantur. Aliqui finito iam iudicio: Alij verò poſt reſurrectionem vniuerſalem venturum exiſtimant. Harum opinionum diſcrepantia ex diuerſis ipſius ignis effectibus quos diuerſis temporibus producet,

orta est, quæ tamen opiniones omnes veræ esse possunt. Primò namque ignis iste Iudicem præcedet, iuxta illud Prophetæ. *Ignis ante ipsum præcedet*. Deinde vbi iudex iam ad vallē Iosaphat aduenerit, circundabit impios in terra, & durabit vsque dum iudicium absoluatur. Tertiò, simulatque data fuerit sententia, damnatos flammis inuoluet, & ad Infernum descendentes concomitabitur. Quartò, mixta omnia consumet ac cōflagrabit. Quintò denique elementa purgabit ac renouabit Mundum. Et quia diuersis temporibus hi effectus producentur, hinc est quòd tam diuersæ de aduentu eius opiniones existant.

Superest nunc, vt, quid alij de hoc igni eiusque effectibus sentiant, demonstremus. S. Antonius par. 4. sum. suæ, tit. 14. c. 11. §. 3. existimat hunc ignem consumpturum quotquot adhuc Christo ad Iudicium veniente in viuis supererunt, iustosque purgaturum, si qua veniali adhuc labe contaminati sint, pro qua nondum satisfecerint. In hac quoque sententia fuit Soto, vti superiùs c. 10. declarauimus, quando asseruimus probabile esse, peccatores obstinatos, qui tum temporis adhuc in viuis erūt, isto igne consumendos esse, iustos verò morituros quando in aëra rapientur obuiam Christo, purga-

Purgati videlicet ab omni peccato veniali per terribilem illam Antichristi persecutionem.

Lactantius lib. 7.ca. 21. arbitratur ignem istum venturum ad probandos homines iã à morte resuscitatos, simulque ad separandos bonos à malis. In eadem sententia Origenes fuit homil. 14. in Lucam, vbi ait: *Nemo absque sordibus resurgere poterit.* Verùm hoc secundùm Suarez supposititium est, sicut docuimus par. 1. cap. 25. S. Hilarius quoq; in Psal. 118. vnà cum S. Ambrosio in *Psal.* 46. eiusdem est opinionis: Quòd si illi omnes iustos purgatione indigere existimant, planè à veritatis scopo aberrant: nam B. Virgo, infantes baptizati, & quicunque ante perpetratum peccatum mortui sunt. Martyres item, alijque iusti, qui pro peccatis suis plenariè satisfecerunt, nulla neque ante neque post resurrectionem purgatione opus habebunt. Quibus adiungi etiam volo animas in Purgatorio detentas, quæ similiter post resurrectionem nulla Purgatione indigebunt, vtpote quarum pœna ita à Deo est ordinata, vt, antequam corpora resuscitentur, ab omni prorsus macula liberæ futuræ sint, plenaria pro omnibus peccatis satisfactione iam persoluta Sed hac de re in prima nostri libelli parte cap. 18. sub finem tractauimus.

Alij affirmant ignem istum, qui iudicē antecedet, ideò è cælis descensurum, vt scilicet damnatis terrorem incutiat, gustumque siue initium præbeat pœnæ sensus quā perpessuti sint. Quemadmodum enim Beati, simulatque resuscitabuntur, corporis gloriosi dotibus subitò perfruentur: ita etiam damnati, vt primùm resurgent, ilicò hoc igni cooperentur, atque excruciabuntur, iuxta illud Psalmistæ: *Deus manifestè veniet, ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Et illud: *Ignis ante ipsũ præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* S. item Paulus de iudicis aduentu loquens, ait: *In flamma ignis dantis vindictam ijs qui non nouerunt Deum.* Psal. 49. & 96. 2. Thess. 1.

DE CRVCE QVAE APPAREbit in cælo adueniente Christo ad Iudicium.

CAPVT XX.

VExillum S. Crucis in Cælo sub extremo iudicio appariturum ipse Dominus noster Iesus Christus apud Sanctũ Matthæum prædixit cap. 24. dicens: *Tunc apparebit signum filij hominis in Cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus Cæli.* Iam per hoc signum

ſignum filij hominis Crucem ſignificari, præterquam quòd omnes affirmant interpretes tàm Græci quàm Latini, etiam aſſerit Sancta Eccleſia, quando de Cruce loquēs ait: *Hoc ſignum crucis erit in Cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit.*

Sanctus Auguſtinus ſermone 130 de tempore, indicans cauſam, ob quam hoc ſignū Crucis in cælo appariturum ſit, inquit: *vt agnoſcant conſilium iniquitatis ſuæ, qui Dominum maieſtatis crucifixerunt.* Neque ſanè dubium eſt quin ad aſpectum huius ſigni S. Crucis ſubitò expaueſcent, quotquot vnquā eiuſdem inimici ac contemptores extitêre. Et hoc eſt quod S. Matth. innuit, dicens: *Et tunc plangent omnes tribus terræ.* Contrà verò iuſti Crucis amatores videntes illam gaudio maximo perfundentur, vtpote per quam redempti ſunt. Quod ipſum etiam S. Ephraim explicat in lib. de vera pœnitentia cap. 3. ſequentibus verbis: *Sancta Crux ruſùs in conſummatione ſeculi cùm ſecundus illuxerit Domini Saluatoris aduentus, primo cum gloria ingenti, & Angelicorum exercituum infinita multitudine apparebit in cælo: inimicos quidem terrens ac vexans; fideles autem illuminans atque lætificans aduentumq; cæleſtis Imperatoris annuncians.*

De hac Cruce quatuor potiſſimum inquiri poſſunt, Primò, quænam hæc crux futura ſit

tura ſit, & cuius materiæ? Aliqui exiſtimāt eādem ipſam futuram crucem, in qua Chriſtus confixus fuit ac mortuus; dicunt enim fore, vt omnibus eiuſdem particulis, quæ hinc inde diſperſæ ſunt, in vnum collectis & coniunctis, ipſa eleuetur in cælum, porteturque ante iudicem. Ita arbitratur VValdenſis tomo tertio de ſacramentalibus tit. 20. cap. 158. vbi pro ſe allegat B. Chryſoſtomum homil. de S. Cruce & Latrone, cuius hæc ſunt verba: *Crucem ſolam non reliquit in terra, ſed ſecum eam leuauit ad cælū, & ideò cū ipſa veniet.* Hæc ſententia non omnibus placet, Auguſtinus enim loco citato dicit fore vt Crux videatur de longinquo cum tanto ſplendore, vt ad eius præſentiam neque Sol, neque Luna videri poſſit: at cùm Crux illa in qua paſſus eſt Dominus noſter admodū exigua fuerit & obſcura, plurima adhiberi miracula opus erit, vt ipſa ab omnibus cōſpiciatur, totumque illuminet Mundum. Præterea neq; S. Scriptura, neq; Eccleſia aſſerit, eandem Crucem ex ligno futuram, ſed tantùm appariturum ſignum Chriſti in cælo, quòd ſi crucis figuram habeat, iam crux appellari poterit etiamſi ex alia materia conſtet.

Hinc nonnulli affirmant eam crucem ex aëre luculentiſſimo formandam eſſe, vt ob magnitudinem & ſplendorem ſuum facilè ab om-

ab omnibus queat videri. In hoc probabiliori sententia est S. Anselmus in suo Elucidario, B. Antoninus in 4. sentent. dist. 48. quæst. 1. art. 2. ad 2. Abulensis, Iansenius, & plures alij super cap. 24. Matthæi.

Secundò quæritur, quo tempore hæc crux apparitura sit? Aliqui existimant eam ante Christi aduentum ad iudicium apparituram, non diu post mortem Antichristi, quando obscurabuntur Sol & Luna. Ratio illorum hæc est, quòd scilicet S. Matthæus cap. 24. omnia hæc signa simul coniungat, dicens: *Statim post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumē suum & tunc apparebit signum filij hominis in cælo.* Vnde S. Clemens lib. 7. suarum constitutionum, primo loco ponit mortem Antichristi, secundò, apparitionem S. Crucis, tertiò, sonitum tubarum, quartò, resurrectionem, quintò, aduentum Iudicis. Eundē etiam ordinem approbat Hippolytus lib. de consummatione Mundi, hac addita ratione, quia nimirum Antichristus fidelibus signum crucis vsurpare prohibebit; contra verò suo charactere vti commendabit. Quare post eius mortem apparebit signum crucis, partim in signum victoriæ Christi, partim etiam vt per illam homines ad pœnitētiam reducantur. Alij putant crucem in ipsa iudicij die apparituram, qua apparente simul

ſimul etiam iudex apparebit. In his eſt S. Anſelmus in Elucidario ſuo, vbi dicit crucem futuram inſtar vexilli, quod præfertur Imperatori.

Tertiò quæritur, quanto tempore hæc crux in aëre perdurabit & ab hominibus conſpicietur? Reſpondeo, vſque dum iudicium fuerit abſolutum. Ita ſcribunt SS. Patres, vbi de hoc myſterio agunt, & ſic maximè conuenire videtur: cùm enim quaſi vexillum iudicis ſit, æquum etiam eſt, vt tam diu perduret, quàm diu iudex in exercendo iudicio occupatur. Adhæc quoque aſpectus illius inſeruiet ad confuſionem inimicorum Chriſti in iudicio.

Quartò & vltimò quæritur, quomodo hæc crux apparebit? Reſpondeo duobus modis hanc fieri poſſe apparitionem. Primò ſcilicet vt in aëre appareat, firmiterque ſubſiſtat: deinde vt ceu iudicis vexillum ab Angelo quopiam portetur āte iudicem per aëra vſque ad locum iudicij. Atque hic modus magis probabilis eſſe videtur.

Quæret aliquis an ſimul cum cruce etiā alia paſſionis inſtrumenta ſint apparitura? Ad hanc quæſtionem affirmatiuè reſpondet S. Thomas in opuſculis ſuis, opuſ. 2. cap. 244. Item Viguerius cap 21. § 2. verſ. 6 refert, aliquos aſſerere futurum, vt omnia ſimul *Paſſionis* inſtrumenta ab Angelis

por-

po rtētur ante Christū venientem ad iudicium. Verū quia hisce de rebus nihil certi, neque ex reuelatione, neque ex S. Scriptura neque ex traditionibus habemus, inter meditationes probabiliores eas potius referendas censemus, vt quæ neque S. Scripturæ, neque Ecclesiæ aduersentur.

DE MAIESTATE ET GLOria, in qua Christus venturus est iudicare hunc Mundum

CAPVT XXI.

SI de gloria animæ Domini nostri *Iesu* Christi, & de gloriosis corporis illius dotibus loquamur, dico ipsum in eadem animæ gloria, eisdemque corporis dotibus aduenturum, in quibus ad cælos ascendit, & quibus nunc præditus est sedens ad dexterā Dei Patris, veluti Angelus in Ascensione illius significauit dicens: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Acto.1. Ratio est, quia gloria animę & dotes corporis gloriosi firmę sunt & immutabiles. Si verò de maiestate seu apparatu externo loquamur, in quo Christus venturus est iudicare, dico eū mirè splēdidum esse futurum, sicut ipse prædixit, Matth. 24. & 25. Primò siquidem inquit, *veniet in nubibus Cæli cum virtute*

virtute multa & maiestate. Diuino enim iussu & Angelorũ ministerio multæ clarissimę ac splendidissimæ nubes congregabuntur, ex quibus artificiosus quidam thronus constabitur, in quo sedebit Iudex. Tàm autem splendida ac stupenda huiusce throni claritas & gloriosi corporis Christi splendor videbuntur, vt Sanctis delectationem non mediocrem, reprobis verò horrorem maximũ sint incussura.

Deinde apud S. Matthæum dicitur, quòd venturus sit cum virtute multa, id est in aduentu illius multa videbuntur in signum Imperij & diuinæ eius potentiæ, veluti tonitrua, terræ motus, sonitus tubarum, aliaque similia, secundum illud 1. Regum capite secundo. *Dominum formidabunt aduersarij eius super illos in Cælis tonabit: Dominus iudicabit fines terræ.*

Tertiò, veniet omnium Angelorum cõitatu stipatus, dicente Sancto Matthæo loco citato: *venient omnes Angeli eius cum eo.* Item Sanctus Iudas in canonica epistola sua inquit. *Ecce venit Dominus in sanctis milliabus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios.*

Hìc oritur dubium, an scilicet Angeli in propria sua spirituali substantia, an verò assumptis corporibus venturi sint? Qua de re licet nullum in sacris literis certum habeamus

amus testimonium; nihilominus tamen verisimile est eos corpora splendida ac gratiosa assumpturos. Atque hoc maximè conuenire videtur: nam cùm secundus iste aduentus sensibilis futurus sit, simulque etiã pompa & externus eiusdem apparatus, signa item Passionis ipsum Iudicem præcedentia sensibilia futura sint, æquum pariter est vt ministri Iudicis, & qui eundem concomitabuntur, assumptis corporibus in forma sensibili appareant. Adhæc cùm in Ascensione Domini Angeli in forma iuuenũ candidè vestitorum apparuerint, verisimile etiam est in extremo Iudicio eos in forma humana & splendido vestitu apparituros.

Cum tali pompa Iudex noster est aduenturus, qui, simulatque ad locum Iudicij peruenerit cum maiestate maxima sedebit in throno, iuxta illud Apocal. cap. 20. *Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum.* Item apud S Matthæum cap 25. *Tũc sedebit super sedem maiestatis suæ.* Origenes super Matth tract. 34. illud (*sedebit*) metaphoricè intelligit, putatque S. Scripturam hoc loquendi modo vti ad declarationem gloriæ maiestatis Iudicis Christi. Melius tamen est credere vocabulum illud (*sedebit*) hîc in propria significatione esse accipiendum, vt videlicet Christus verè sessurus sit tanquam Iudex in throno maiestatis suæ: quemad-

modum

modum Psalmista Psal. 9. prædixit dicens: *Sedisti super thronum qui iudicas iustitiam.*

Quod porrò S. Matthæus cap. 24. inquit: *Sicut fulgur exit ab oriente & apparet vsque in occidentem, ita erit & aduentus filij hominis.* intelligi potest de splendore ac velocitate cum qua Christus venturus est ad iudicandum, simulque etiam de terrore quem eius aduentus apportabit.

AN CVM CHRISTO ALII etiam sessuri sint ac iudicaturi.

CAPVT XXII.

ALios porrò iudices cum Christo iudice supremo in extremo iudicio sessuros, fidei catholicæ veritas est expressa apud S. Matthęum sequenttbus verbis: *Cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel* Matth. 19 Lucæ 22.

Ad cuius rei pleniorem declarationem notandum est, iudicare actionem esse iurisdictionis ac supremæ potestatis, quæ iurisdictio in supremo iudicio nemini præterquam soli Christo concessa est, solus enim Christus supremã habet potestatem. In tantum autem sancti iudicare dicuntur, in quã tum de actione aliqua & honore ad iudicium pertinente participant. Et hoc tribus

modis fieri poteſt, Primò cōparatione quomodo ſcilicet iuſti peccatores cōdemnare vita ſua dicuntur, hanc ipſam nimirum eos malè tranſegeſſe, ideoque pœna digniſſimos eſſe demonſtrantes, dum, ſi voluiſſent, benè etiam operari potuiſſent. Atque hoc modo Regina Auſtri & Niniuitæ *Iudæos* condemnabunt, eò quòd non fecerint ſicut ipſi cùm potuiſſent ac etiam debuiſſent: Eodem quoque modo intelligendum eſt illud S. Matthæi: *Sedebitis iudicantes duodecim tribus Iſrael.* cuius rei rationem ſubiungens ait *Quia vobis credentibus illi credere noluerunt*, Ergo fides horū pertinaciā & incredulitatē eorum condemnabit: Ita hunc locum exponit S. Hieronymus & Chryſoſtom. ſuper Matth. homilia 6. Verū tamē eſt hoc modo, neminē rectè ac propriè poſſe dici iudicare quippe cùm nullā præſupponat iuriſdictionem, neque hoc modo quiſquam rectè dicetur proferre & approbare Iudicis ſententiam, quod etiam quodammodo eſt iudicare, vti poſtea dicemus.

Alter iudicandi modus eſt quando aliquis licet authoritate iudicandi ſit deſtitutus; nihilominus tamē Iudici aſſiſtit, eiuſq; ſententiam laudat & approbat, iuxta illud: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* quod etiam iudicare dicitur. Atq; hoc modo (ſecundum Sanctum Ambroſium in

capi-

capite 22. Sancti Lucæ) illi iudicabunt, qui cum Christo sedebunt in Iudicio. Tertius iudicandi modus fit per participationē non honoris dũtaxat(quia nimirũ singuli in sedib⁹ suis cũ Christo honorificētissimè sedebunt in extremo iudicio) sed actionis etiã iudiciariæ, cuius secũdum Diuum Thomã dist. 47. artic. 2. quæst. 1. participes efficientur: vtrumque enim illis Christus promisit, sedere scilicet & iudicare. Sancti ergo qui cum Christo sedebunt in iudicio, participabunt de actione iudiciaria, quia sententiã Christi his, qui iudicabuntur, referent & notificabunt. Omnia hæc desumpta sunt ex Diuo Thoma loco citato.

Alij quoque probabiliter asserunt, iudicare duo potissimum includere. Primò, caussam discutere, ac reum conuincere: deinde proferre ac dare sententiam. De primo Sancti participabunt, conuincēt enim peccatores rationibus & exemplis, demonstrando eos etiam benè operari & à malo abstinere potuisse. Et hac ratione Sancti iudicare dicentur. Sententiam verò dare, qui actus est iudici proprius, soli Christo concessum est.

Nunc quinam sint hi qui in extremo iudicio cum Christo sedebunt, & prædicto modo iudicabunt, breuiter explicemus. *Richardus* de S. Victore in li. suo de potestate

iudiciaria, ait solos duodecim Apostolos futuros, quod Christus ipsis tale priuilegiũ promiserit. Verùm. B. Augustinus lib. 2 de ciu. Dei ca. 5. item Beda in homil. de S. Benedicto, opinionem istam refutant, dicentes hoc modo S. Paulum etiam ex isto Iudicum numero exemptum iri, quippe qui nõ comprehendatur in numero duodecim Apostolorum, quod falsum est cùm de seipso 1. Cor. 6. dicat. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus*? Ad authoritatẽ verò illam Christi respondeo, quòd duodecim tantum sediũ mentionem fecerit, quia loquebatur Apostolis quorum tunc solùm duodecim erant. Abulensis autem in c. 19. Matth. affirmat ibi numerũ certum poni pro incerto, & comprehendere sub se quotquot vitam Apostolicam imitabuntur.

Alij omnes eos iudices futuros dicunt, qui ab Ecclesia erunt canonizati, siue relati in numerum Sanctorum. Sed hæc sententia minùs firmo ac stabili innititur fundamento: aliud enim est ab Ecclesia approbari, aliud verò habere priuilegium iudicis, quia Ecclesia, quem canonizat, eum quidẽ approbat & inter Beatos recẽset, non tamẽ protinus illi iudicis confert authoritatem. Tertia opinio eorum est, qui scilicet Iudices omnes illos futuros affirmant, quotquot professionem fecerint voluntariæ pau-

paupertatis. In his est S. Thomas in 4. sent. dist. 47. q. 1. art. 2. estque communis sententia omnium Theologorum ac SS. Patrum, & probatur hac ratione: cũ enim S. Petrus Christo Domino nostro dixisset: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* respõdet Iesus: Matth. 19. *Cũ sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim.* Iã verò hæc promissio illis facta est qui relictis omnibus bonis tẽporalibus amore Christi paupertatẽ susceperint voluntariam, quo scilicet expeditiores sint ad seruiendum Christo. Atque hoc est quod inquit B. Iob cap 36. *Non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit.* S. Antonius 3. par. summæ suæ tit. 16. cap. 5 § 8. super hac materia punctum vnum attingit consideratione dignissimum. Prærogatiua iudicis inquit non solùm propter paupertatem voluntariam confertur, multi enim religiosi professionem voluntariæ paupertatis faciunt alioquin imperfectissimi, qui (etiamsi saluentur) non tamen ob id verisimile est eos cum Christo reliquos fore iudicaturos. Vt ergo iudex aliquis sit, cũ paupertate voluntaria bònam probatamque pariter vitam coniunctam agat necesse est, qua scilicet Christi imitetur perfectionem, veluti colligitur ex illa Christi responsione qua dicebat Petro: *Vos qui secuti estis me,*

ſcilicet, imitando vitam meam, *ſedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes &c.* Voluntarij igitur pauperes & qui perfectæ ſunt vitæ, ſedebunt iudices cum Chriſto. Paupertas requiritur, quia bonus eſſe iudex non poteſt, qui diuitias huius mundi non contemnit. Deinde etiam perfectio & ſanctitas vitæ deſideratur: æquum enim eſt, vt imperfecti à perfectis iudicentur, quod inſinuare videtur Apoſtolus Paul. 1. Cor. 2. dũ ait: *Spiritualis autem iudicat omnia.* id eſt, perfectus, & ab omni paſſione liber rectè iudicat.

Obſeruandum præterea iudicis prærogatiuam aureolis reſpondere, quæ Beatis cõferentur: nam pauperibus & perfectis tanquam præmiũ aliquod accidentale dabitur, eritque illis in ſingularem lætitiam ac gaudium hinc profectum, quod ſcilicet quicquid vel habuerunt vel habere potuerunt, reliquerint propter amorem Dei. Si quæras quãta vitæ perfectione hos paupertatis voluntariæ *Profeſſores* pollere neceſſè ſit, reſpondeo, illud ſoli Deo conſtare. Richardus de poteſtate iudic. aſtruit eos oportere eſſe corde puro & in contemplationem rerum diuinarum eleuato. Abulenſis in cap. 19. Matth. illud etiam ceu neceſſarium adiungit, vt nimirum alios ſuo exemplo perfectionem docuerint, iuxta illud Chriſti: *Qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in Regno Cælorum.* Matth. 5. Alij

Alij, quos citat Suarez tom. 2. 3 par. disp. 57. sect. 4. etiam omnes illos iudices futuros existimant, qui in hac vita virtutes aliquas habuerint excellentes ac singulares, in altera verò vita singulari aliquo gloriæ gradu potiantur, maximè qui eam habuerint gratiam, vt nunquam vel rarissimè in peccatū mortale inciderint, etiamsi religiosi non fuerint, neque voluntariam professi paupertatem. Et hæc doctrina desumpta est ex Sancto Hieronymo epist. 28. S. Augustino in Psalmo 49. & epist. 89. ex Sancto Gregorio lib. 20. moral. ca. 16. S. Anselmus quoq; in Elucidario suo asserit multos Martyres, Confessores & Virgines, aliosque singulari quadam virtute præditos, singulos in suo statu cum Christo sessuros in iudicio ad iudicandum modo supradicto.

Aliud hîc dubium occurrit, an nimirū etiam Angeli iudicaturi sint? S. Thomas loco citato dist. 47. ait, Angelos solùm secundo modo iudicaturos, nempe approbando iudicis sententiam: non autem sededunt cū alijs iudicibus, sed tantùm assistent tanquā supremi iudicis ministri, non enim conueniens est humanum genus ab alijs, quàm qui eiusdem naturæ sunt, iudicari.

QVI NAM IN EXTREMO IVdicio sint iudicandi.

CAPVT XXIII.

Omnes quotquot ab exordio Mundi fuêre, & quotquot vsque ad consummationem illius homines erunt, in extremo iudicio comparituros certum est, & ex sacris literis quàm clarissimè demõstratur. S. Matthæus cap. 25. inquit: *Congregabuntur ante eũ omnes gentes.* S. Paulus ad Romanos ca. 14. ait *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* Idem repetit in epist. ad Corinth. 2. cap. 5. Verùm ex his authoritatibus non sequitur necessarium esse, vt omnes iudicentur, interuenire enim & alij possunt tanquam ministri; alij tanquam testes, alij verò tanquã rei vel accusatores. De quibus hoc præsenti capite tractabo. Primò itaque de infidelibus dubitatur, an videlicet etiam hi iudicari debeant, & quomodo? Multi SS. Patrum existimant infideles non fore iudicandos, eò quòd B. Ioannes expresse cap. 3. dicat: *Qui non credit, iam iudicatus est.* In hac sententia sunt Lactantius lib. 7. c. 20. S. Augustinus sermone 38 de Sanctis B. Gregorius lib. 26. moral. c. 20. & plures alii.

Scholastici Theologi hanc SS. Patrum sententiam explicuerunt iudiciorum duo gene-

genera constituentes. Primum dicitur *iudicium discussionis*. in quo nimirum primò discutitur causa, ac postmodum profertur sententia. Alterum verò dicitur *iudicium condẽnationis*, quãdo nimirum absque omni discussione sententia profertur pœnæ vel pręmij. Dicunt ergo Theologi Scholastici infideles secundo hoc modo iudicandos esse, dum nimirum ad pœnas condemnabuntur sine omni causæ discussione aut examine. quippe quæ per se clara satis sit ac manifesta. At non hoc modo iudicabuntur improbi Christiani, illi enim cùm fundamentum habuerint iustitiæ, quæ fides est, bona item opera perpetrauerint, necessarium erit ipsorum causam, ob quam condemnentur, examinare ac discutere. Atque ita quotiescunque sacræ literæ aut SS. Patres dicunt infideles non iudicandos, subintelligendum est. *iudicio discussionis*.

Alij porrò Theologi aliam constituunt distinctionem, dicuntque duo in infidelibus considerari posse. Primò, quòd exclusi sint à regno cęlorum propter infidelitatem, quæ, cùm manifesta sit causa illorum condemnationis, nullo habet opus examine siue discussione. Deinde quod ad certã pœnam sensus in Inferno condemnati sint, cuius condemnationis causa, quia manifesta non est, examine ac discussione opus habet,

vt ſcilicet manifeſta & cognita fiat diuinæ vltionis iuſtitia. Atque ita iuxta hanc ſecundam diſtinctionem infideles vtroque modo iudicabuntur, iudicio ſcilicet diſcuſſionis & condemnationis, quod videtur veritati eſſe quàm maximè conſentaneum.

Secundum dubium eſt, an infantes, qui ante vſum rationis abſque baptiſmo ex hac vita diſcedunt, interuenturi ſint ad iudiciũ vniuerſale, itemque an iudicandi ſint nec ne? Albertus in 4. ſentent. Infantes hos nõ modo non iudicandos, ſed nec comparituros quidem in iudicio exiſtimat. S. Thomas quæſtione quinta de malo ar. 3. itemque in 4. ſentent. diſt. 47. quæſt. 1. art. 3. dicit hoſce infantes præſentes futuros in iudicio, nõ quidem vt iudicentur ſed vt gloriam iudicis videant. Dicit præterea eoſdem nullam habituros cognitionem de gloria electorum, neque cognituros cauſam quare ipſi eadem priuentur. Durandus etiam in 2. ſent. diſt. 33. quæſt. 3. & Carthuſianus in 4. diſt. 47. quæſt. 1. arbitrantur hoſce pueros non fore iudicandos. Nobis verò, quoad præſens dubium, probabile maximè videtur prædictos infantes ſimulatque reſuſcitabuntur cum alijs ſimul in iudicio futuros præſentes, cùm diuerſis in locis ſacræ literæ conteſtentur futurum vt omnes ante Chriſti Tribunal præſentemur. Quæ ſententia præterquam

quòd

quòd communiter ab omnibus teneatur, hac etiam ratione corroborari potest: cùm enim Christum ab omnibus ceu Dominũ ac iudicem supremum cognosci oporteat, necessarium quoque erit, vt hi infantes iudicio intersint in quo Christus Dominum se ac iudicem omnium declarabit. Dico prȩterea hosce infantes iudicandos esse *non iudicio discussionis, sed iudicio condemnationis*: in ipsis siquidem nihil est quod discussione aut examinatione vlla indigeat, contaminati autem sunt macula originali, quæ causa est damnationis illorum. In hac sententia est Beatus Bonauentura in 4. dist. 47. q. 3. art. 1. quem etiam sequitur Soto quæstione prima articulo tertio ad 2. B. Augustinus quoque l. 3. de libero arbit. cap. 23. manifestè dicit illos fore iudicandos. Et l. 5. Hipognostic. asserit eos collocandos esse ad partem sinistram. Tertiò dico pueros istos omnia quæ in iudicio vniuersali fient optimè cognituros vtpote qui nõ minus quàm cæteri homines sensum habent & intellectum ad discurrendum. Vnde Christum tanquam Dominum suum agnoscent simul & honorabunt, videbunt pariter quinam ad infernum destinentur, quinam item cælestem obtineant felicitatem: quæ omnia iusto Dei iudicio fieri intelligent. Similiter etiam iustè à Deo constitutum iudicabunt

quòd ipsi nec cam damnatis ad infernum, nec cum Beatis abeant in cælum. Quin etiã probabile videtur eos causam cognituros, ob quam à Regno cælorum excludantur, in iudicio enim manifestabitur lapsus Adami vna cum damno quod ex illo ad posteros omnes redundauit.

Tertiò quæritur an etiam iusti iudicandi sint? Circa hanc materiam in duobus conueniunt Theologi. *Primò*, iustos omnes iudicandos esse *Iudicio approbationis*, id est publica sententia digni iudicabuntur beatitudine, ideoque ad possidendum regnum cælorum inuitabuntur. Secundò, Sanctos qui in hac vita nullum neque mortale, neq; veniale aut commiserũt peccatũ, quales sũt Beatissima virgo & infantes omnes, qui sacro Baptismatis fonte à peccato originali abluti antequam vllum committant peccatum ex hac vita discedunt, non iudicandos *iudicio discussionis*, siquidem nihil in his est quod discussione vlla opus habeat, cùm nullum adhuc peccatum perpetrauerint.

Dubium ergo relinquitur, an iusti, qui in hac vita benè & malè operati sunt, iudicandi sint *iudicio discussionis*: Magister sentẽtiarum l. 4. dist. 43. Viguerius c. 1. § 3. vers. 8. & Sonnius de extremo iudicio c. 6. nullũ omnino iustorum *Iudicio discussionis* iudicatum iri arbitrantur, propter peccata iam per poeni-

pœnitentiam deleta, putantes eiusmodi peccata in iudicio extremo non manifestari, sed tantùm merita eorum, quippe cùm diuersis in locis sacræ literæ peccata, quæ iã remissa sunt, operiri, deleri, ac obliuioni tradi asseuerent: iam verò si in extremo iudicio ea reuelari necesse esset, falsum foret illa operiri ac deleri. Deinde si peccata iustorũ in extremo iudicio manifestarẽtur, necessariò id cũ dedecore & ignominia eorũ fieret: atque ita pudore potius & confusione quàm honore & laude afficerentur.

Alij omnia peccata Iustorum tam mortalia quã venialia in extremo iudicio manifestanda existimant. Et hæc est sententia D. Thomæ in 4. sent. dist. 43. art. vlt. S. Bonauenturæ art. 2. q. 2 & 3. & Dominici Soto dist. 47. quæst. 12. art. 3 ex lib. Meditat. S. Augustini cap. 4. decerpta, vbi sic inquit: *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt vniuersa scelera mea, non solùm actuum, sed etiam cogitationum.* Apud Sanctũ Matthæum quoque Dominus ait: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die Iudicij.* Ergo iusti necessariò iudicabuntur *iudicio discussionis*, id est, palam declarabitur bona ipsorũ opera peccatis eorũ prępualuisse, à quibus omnino iam purgati sint atque abluti. Similiter etiã mani-

manifestabuntur peccata reproborũ etiã per pœnitentiam deletorum, non vt de nouo puniãtur, sed vt manifestetur iustitia & misericordia diuina. Ad fundamentum ipsorum respondetur, S. Scripturam, quando dicit peccata iam remissa deleri ac obliuioni tradi, velle astruere & affirmare nullam ex ijs animæ labem remanere, nec Deum illorum recordari, vt scilicet propterea Beatos puniat aut confundat. Ad rationem eorum respondeo Beatos nullarum amplius capaces futuros passionum. Vnde sicut nulla ex memoria commissorum peccatorum (de quibus iam illos pœnituit) ita neque ex eorundem manifestatione afficientur tristitia siue pudore: alioquin enim quotiescunque in concione mentio incidere peccati Sancti Petri aut Beatæ Magdalenæ, necesse foret eos rubore suffundi ac dolore affici. At hoc asserere absurdum est: etenim tãto maiori afficiuntur lætitia, quanto magis gloriam Dei hinc augeri animaduertunt. Quocirca tãtum erit Iustorum gaudium ex peccatorũ pœnitentia & remissione profectũ, vt non solùm in bonam partem accipiant si peccata eorum publicẽtur ac detegantur, sed desideraturi quoque sint, vt ea ipsa toti Mundo reuelentur, quò nimirum Dei bonitas, potentia, & misericordia magis magisque innotescat.

Quartò

Quartò quæritur, an Angeli tam boni quàm mali sint iudicandi? Ad hāc quæstionem respondeo, primò, omnes Angelos tam bonos quàm malos in iudicio comparituros. atque in hoc omnes conueniunt. De bonis sacræ literæ aiunt eos cū Christo ad Iudicium venturos. Quòd verò ad malos attinet, sciendum est gloriam Christi requirere vt illi quoque iudicio extremo intersint, quò scilicet eūdē tanquā Dominum omnium recognoscant, & coram ipso humilientur iuxta illud Apostoli ad Rom. 14: *Mihi flectetur omne genu.* Vbi Apostolus loquitur de die extremi Iudicij: Dico præterea maximè probabile videri Angelos bonos iudicandos *iudicio approbationis,* malos verò *iudicio condemnationis,* vti existimat S. Bonauentura in 4. sent. dist. 47 art. 1. q. 4. & Richardus art. 1. q. 6. Item S. Petrus epist. 2. c. 2. Dęmonia ait *in iudicium reseruari,* in quo à Christo condemnabuntur, atq; ea lege in Infernum præcipitabuntur, vt omnis inde redeundi præcidatur potestas.

Quòd verò dicit Apostolus: *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus?* subintellige *iudicio approbationis,* quia nimirum Sancti Christi sententiam approbabunt.

DE

DE MANIFESTATIONE OPERVM vniuscuiusque & Iudicis sententia.

CAPVT XXIV.

HOc capite, sicut & præcedenti capite diximus, præsupponendum est in extremo iudicio singulorum hominum opera tā bona quàm mala iudicari simul ac manifestari, illa quidem vt remunerētur, hæc verò vt reprobētur simul ac puniantur. Sapiēs inquit: *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum siue malum sit.* Et Apostolus 2 ad Corinth. 5. ait: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum.* Idem confirmant Theologi in 4. sent. dist. 43 hac ratione cōfisi, quod scilicet iudicium illud rectè vniuersale non dici possit, nisi & causa sententiæ omnibus manifestetur.

Iam quod ad modum attinet huius manifestationis, dico eam dupliciter fieri posse: semel voce sensibili ac humana; deinde etiam mentaliter, quando scilicet menti repræsentatur hoc quod manifestatur. Dico ergo non omnia opera manifestanda esse sensibili voce, tùm quia non sit necessariū tùm etiam quia id nimis longum foret, sed

potius

potius mentaliter cum hac distinctione, vt opera misericordiæ, & quæ illis contrariātur peccata sensibili voce manifestentur, nō quidem singulatim vnicuique, sed generaliter omnibus tam ijs qui stabunt à parte sinistra quàm qui stabunt à parte dextra, vti Christus apud S. Matthæum inquit: *Esuriui enim & dedistis mihi manducare, &c.* Similiter etiam sensibili voce laudabuntur. Martyres, Religiosi, virgines, &c. At multorū operum manifestatio erit mentalis, id est, singulorum opera siue bona ea sint siue mala vnicuique in sua conscientia tanquā in libro quodam repræsentabuntur, quod S. Augustinus lib. 20 de ciuitate Dei cap. 14. dicit fieri diuina virtute, summaque perspicuitate ac celeritate. Verba illius sunt hæc: *Quandam vim esse intelligendam diuinam, qua fiet vt cuique opera sua bona vel mala cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur.* Idem illud confirmat S. Thomas in supplem. suo qu. 88. art. 2. vna cum alijs Theologis in 4. sent. dist. 43.

Quod porrò ad Iudicis sententiam attinet, illud hîc dubium nascitur, an videlicet vna sententia generali reprobi omnes sint condemnandi, electi item alia generali sententia beatitudinis præmio donandi; an verò contrà vnusquisque singulatim suā accepturus sit sententiam? Difficultas hu-

ius

ius quæstionis hinc oritur, nempe quòd apud S. Matthæum dicatur cap. 25. sententiā illam futuram generalem, videlilet: *Ite Maledicti. Venite Benedicti.* Sed quia non omnes reprobi iisdem pœnis, neq; omnes electi iisdem præmijs afficientur, necessarium videtur vt vnusquisq; suam accipiat sententiā in particulari meritis siue delictis suis cōformem. Dico ergo, quamuis omnes Electi simul ad cæleste regnum possidendum vocādi sint; nihilominus tamen vnusquisque in suo gradu gloriæ cognoscet, quid & quātū sibi competat, neque necessarium erit hoc eos voce sensibili audire, sed sufficit si mentaliter tantùm intelligant. pari quoque ratione reprobi sensibili voce à Christo separabuntur, quo significatur pœna damni, & mittētur in ignem æternum, quo insinuatur pœna sensus. At quanta ista pœna futura sit, mentaliter diuina virtute intelligent.

Secundò, tam erit iusta & absoluta ista sententia, vt nullus neque intercęssioni, neque reuocationi omnino locus reliquus sit futurus, iuxta illud Sapien. Prou. 6. *zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusque precibus, nec suscipiet pro redēptione dona plurima.* Hac de re fusiùs tractat S. Augustinus serm. 67. de tempore. S. Gregorius in homilijs super Euangel. hom. 1. & 12. & S. Bernardus in Cant. ser. 55. Ter-

Tertiò, etsi vnusquisque sententiam suã particularem mentaliter sit accepturus, per quam, quantum pœnarum aut præmiorũ sibi competat.intellget; nihilominus tamẽ eadem sententia omnibus alijs non minùs nota erit quàm si sensibili voce prolata fuisset:id enim ratio vniuersalis Iudicij requirit, vt videlicet huius iudicij iustitia omnibus innotescat.

Aliæ porrò sententiæ generales, quarum vnam electi ad cælestem recipientur beatitudinem,alteram verò impij condemnabũur, sensibili voce pronunciabuntur,quemadmodum etiam superiùs dictum est, & confirmat Abulensis super Matth. c. 25. qu. 333. Cùm enim Iudicium illũd sensibile futurum sit, necessariùm etiam est eiusdẽ sẽtentias communes esse ac sensibiles. Si quęras, quamdiu actus ille iudicij duraturus sit? respõdeo cum S. Augustino lib. 20. de ciuit. Dei cap. 1. illud certò sciri non posse: quanquam enim communiter dies vocetur iudicij: nihilominus tamen illic per diẽ totum illud tempus intelligitur quo actus ille iudicij durabit.

Demum adeò efficax erit ista sententia, vt in continenti eam subsecutura sit executio. Vnde simulatque Christus dixerit: *Ite maledicti in ignem æternum*, subitò dehiscet terra, ex qua horrendis vndequaque erumpenti-

pentibus flammis, Infernus miseros damnatos deglutiet ac deuorabit, Beati verò in iubilo ascendent, cum Christo in Cælum.

DE RENOVATIONE Mundi.

CAPVT XXV.

MVndum post absolutum iudicium ante Christi in Cælum ascensum denuò renouatum iri, diuersis in locis sacra confirmat Scriptura. Isaias cap. 65. inquit: *Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora.* Et in Apocal. ca. 21. *Vidi cælum nouum & terram nouam.* Et S. Petrus epist. 2. cap. 3. expressè dicit: *Nouos cælos & nouam terram secundùm promissa ipsius expectamus.* Hæc est S S. Patrum prædicta loca explicantium sententia, idemque ipsa etiam ratio postulare videtur: nam cū Mūdus hic pro hominibus, maximè pro electis, creatus & conditus sit quorum status in extemo iudicio renouabitur ac perficietur æqum etiam fore videtur, vt Mūdus simul renouetur ac perficiatur. prętetea Mundus hoc tempore generationi & corruptioni accommodatus est, post Iudicium verò nulla amplius futura est generatio, sed vita immortalis: conueniens igitur

tur erit vt mundus ſtatui vitæ immortalis accommodetur.

Quod ad modum attinet huius renouationis, & in quo renouatio hęc conſiſtat, diuerſorum diuerſæ ſunt ſententiæ. Aliqui exiſtimant nouos cælos itemque noua elementa creanda, illis, quæ nunc ſunt, corruptis atque in nihilũ redactis. Alij innouationem hanc in elementis duntaxat futuram arbitrantur, quæ omnia mutabuntur, Cælum verò (quoad ſubſtantiam ſuam) nequaquam mutatum iri. Probabilior autem illa videtur eſſe ſententia quæ in renouatione iſta nec Cælos, nec elementa quantum ad ſubſtantiam, aſſerit eſſe mutanda, ſicut Pſalmiſta apertè demonſtrat Pſal. 148. dum ait: *Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. ſtatuit ea in æternum & in ſeculũ ſeculi, præceptum poſuit & non præteribit.* Quod de integralibus Mundi partibus ad minimũ verificari neceſſe eſt, de cælis nimirum & elementis, quæ ſecundùm hanc opinionẽ, quoad accidentia & proprietates aliquas duntaxat renouabuntur. In cælo autẽ Empyreo nihil immutabitur tàm quoad ſubſtãtiam quàm quoad accidentia. Ratio eſt, quia Cælum iſtud à Deo creatum eſt, non pro hiſce inferioribus, ſed vt thronus ſit Sanctiſſimæ Trinitatis ac perpetua ſedes Angelorum ac hominum Beatorum. Deinde

ünde, Cælum hoc perfectissimum est, ergo nulla indiget renouatioue.

Alij itaque Cæli innouabuntur, primò quoad lucem, maiorem enim tunc claritatem habebunt, iuxta illud Isaiæ: cap. 30 *Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum.* Secundò quoad motum, quia non amplius mouebũtur, cum nullæ deinceps futurę sint generationes, ad quas motus cælestes necessariò requirantur.

Elementa, quæ nunc impura sunt & homini etiam ad peccata inseruiunt, cõflagrationis igne renouabuntur: ab omnibus siquidem qualitatibus istis externis purgabũtur, quæ in aëre, aqua, ac terra conspiciũtur. Vnde non absque ratione Philosophi aiunt elementa impura esse & quasi mixta. Post hanc igitur conflagrationem ac renouationem, vti S. Thomas inquit in 4. senis dist. 48. q. 2. art. 4. terra in superficie sua resplendebit instar vitri, aqua instar crystalli, aër talis, erit quale nunc est Cælum, ignis lucebit vt modò Sol, Luna, ac Stella. Atque hac ratione Cęlum nouum, Terra noua, totus denique Mundus innouatus dicetur.

Porrò omnia ista sacræ Scripturæ loca in quibus dicitur: *Cæli transibunt Cæli peribunt*, itemque nouos cælos & terram nouã creãdam esse, intelligi possunt quo ad statum ac mini-

ministeria eorum quæ immutabuntur: vnde noui dicentur cæli, quia scilicet nouus erit eorum status & ministeria noua erunt. Quanquam S. Augustinus lib. 20. de ciuit. Dei cap. 18. per nouum cælum aëreum tantummodo cælum intelligat.

At quando futura est hæc innouatio? Nōnulli eam ante resurrectionem adimplendā putant. vt nimirum homines ad nouam vitam resuscitati, Mundum etiam reperiant innouatum. S. Augustinus loco citato conflagrationem ac renouationem Mūdi post habitum Iudicium futuram existimat. Eandem sententiam tuetur Iulianus Pomerius lib. 3. Prognosticon cap. 46. Itē S. Anselmus in Elucidario suo &. Prosper. Dimidio tēporis cap. 1. & 20. Ratio est, quia si Mundus purgandus est, eò quòd peccatis hominum sit contaminatus, purgetur autem ante Iudicium, necesse erit ipsum post iudiciū denuò mundari ac renouari, quia damnati ad iudicium venientes de nouo eundem blasphemijs suis contaminabunt, quod perquā absurdum esse videtur. Per quē instituetur hæc Mundi innouatio? Communis opinio est innouationē istam fieri debere per ignē conflagrationis iuxta illud S. Petri: epist. 2. c. 3. *Elementa calore soluentur, terra autē & quæ in ea sunt opera, exurentur.* De hoc igni suprà egimus cap. 19. idem siquidem futurus est

cum

cum igni illo qui Iudicem ad iudicium venientem præcedet. Nunc de quantitate istius ignis nonnihil nobis dicendum, id enim propriè ad hunc locum pertinet. Sunt qui existimant tantum hunc ignem futurum vt vniuersam simul terram & aquam circundaturus sit, pariterque altissimè in aërem ascensurus. Hoc quidem probabile est; attamen melius videtur, si dicamus non necessariò tantam huiusce ignis fore quantitatem, cùm in minori etiam quantitate eosdem effectus producere possit, successiuè scilicet circundando terram, cæteraque elementa.

Hac Purgatione ac renouatione finita, ait S. Thomas in 4. sent. dist. 47. qu. 2. art. 3. quæstiunc. 3. omnem spurciciem & cunctas quæ supererunt, sordes simul in Infernum conijciendas seu deturbandas esse, citatque pro se S. Basilium. Quapropter verisimile est vastam illam voraginem siue scissuram, per quam damnati in Infernum descenderunt, in terra remansuram vsq; dum mundus ab omnibus omnino sordibus fuerit purgatus.

QVALIS POST RESTAVRATIONEM Mundus futurus sit.

CAPVT XXVI.

PVrgato hoc Mundo talem illius deinceps futuram dispositionem credibile est qualis ad eiusdem ornatū videbitur esse quàm maximè

maximè accommodata. Primum ergo cæli non amplius mouebuntur, quia motus illorum soli deseruiebat generationi ac corruptioni, quæ tum omnino cessabunt, ac propterea etiam cessabit omnis motus Cæli. Hinc Apocal. cap. 10. dicitur nõ amplius futurum tempus, neque enim amplius circumagetur Sol, iuxta illud Isaiæ: Cap. 60. *Non occidet vltrà Sol tuus, & Luna tua vltra non minuetur.* Sol igitur, Luna, & cæteræ stellæ omnes stabiles manebũt absque omni variatione, veluti idipsũ declarat S. Cyrillus super S. Ioannem lib. 9. cap. 46. simulque confirmat S. Thomas in 4. sent. dist. 48. qu. 2. art. 2. Multi nihilominus reperiuntur, qui dicunt motum cæli in ipso resurrectionis puncto cessaturum, tunc enim nulla ãplius futura est generatio vel corruptio. Atque hoc maximè probabile videtur, licet verisimile quoque sit motum cælestem duraturum vsque ad extremam Mundi purgationem, quæ post resurrectionẽ futura est, nam ad illud vsque tempus aliquæ semper erunt mixtorum alterationes ac corruptiones quæ absque motu cęli non nisi miraculosè fieri possunt.

Cessantibus motibus Cæli vniuersus Mũdus ita illustrabitur: vt nulla amplius nox aut obscuritas futura sit. Neque cæli tantũ,

ſed elementa etiam ab omni parte reſplendebunt. Quare Mundus totus purus ac pulcher futurus eſt, ex eo ſiquidem ſplendore plus ornamenti quàm nunc ex tanta mixtorum varietate recipiet.

Hîc dubia duo occurrunt, Primum, ſintne aliqua mixta in mundo remanſura, veluti plantæ, aurum, gemmæ, piſces, aues & ſimilia? Difficultas hæc inde naſcitur, quòd ſcilicet S. Petrus loco citato dicat terram & quæcunque in ea exurenda eſſe. Iam verò, ſi poſt iudicium mixta aliqua remãſura ſunt, ſuperuacaneum erit illa igne conflagrationis conſumi, veluti aurum, argentum, gemmę pretioſæ ac ſimilia. Deinde etiam, ſi exurẽda ac deſtruẽda ſunt omnia mixta, Mũdus ijſdem deſtitutus in æternum imperfectus manebit, Mundi namque ornatus ac decor in mixtorum varietate conſiſtit: quid enim, obſecro, terra hæc futura eſt ſi plantis, floribus, ac cunctis animantibus ſit deſtituta? idem puta cæteris elementis. Hinc S. Anſelmus in Elucidario ſuo arbitratur terram totam inſtar Paridiſi terreſtris floridam permanſuram, eò quòd corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti exceperit ac portauerit, tantorumque SS. Martyrum ſanguine irrigata fuerit. In eadem ſententia eſt Guilielmus Pariſienſis, quem citat Carthuſianus in 4. ſent. diſt. 48.

Ad

Ad hanc controuersiam responderi potest. Primò certum atque exploratum id habebit vnusquisque, omnia nimirum mixtè igni exurenda ac destruenda, sicut apertè declarat S. Petrus, simulque omnes Interpretes affirmant, neque id citra temeritatis notam negare quisquam potest. Restat nunc dubium illud, an scilicet post conflagrationem & renouationem Mundi noua aliqua mixta sint producenda ad ornatum elementorum & perfectionem Mundi? Secundò dico cum Suarez tomo 2. 5. par. disp. 58. sect. 3 non improbabilem videri opinionem illam S. Anselmi & Guilielmi Parisiensis, asserētium in terra plantas, herbas, ac flores futuros, quemadmodum suprà dictum est cap. 16. Quemadmodū enim multi existimant in Inferno nō defuturos vermes, sulphur, aliasque materias similes ac fœtentes ad torquendos nimirum damnatos: ita etiam nequaquam videtur esse absurdum si in terra remaneant plantæ ac flores in recreationem aliquam accidentalem Beatorum. S. Thomas in 4, sent. dist. 48. (cuius doctrinam etiam plures alij scholastici sequuntur) nulla post Mundi restauratione animātia super futura existimat, neq; plātas vllas, nec vllū aliud mixtorum. Et certè sententia hęc amplectēda esse videtur, ratio est, quia mixta omnia ex natura sua sūt corrup-

tibilia: *S.* Paulus autem ad Romanos 8. cap. dicit quod in illo statu creatura liberabitur à seruitute corruptionis. Ergo tunc nulla corruptibilia remanebunt. Præterea omnia mixta creata sunt in vsum hominis: ergo nullo amplius homine in terra existente, nulla amplius mixta remanebunt. Adde citra motum cæli mixta nulla nec generari posse nec conseruari; Cessante igitur motu cæli non amplius erunt mixta, neque citra miraculum poterunt conseruari.

Alterum dubium est, an scilicet terra isto tempore tota aquis sit cooperienda, veluti naturalis elementorum dispositio postulare videtur, an verò remansura sit, vt nunc est, aliqua saltem ex parte aquis operta. Huius dubitationis enodatio ab alio dubio dependet, an nimirum *Infantes*, qui citra Baptismatis Sacramentum moriuntur sola originali labe contaminati, hunc Mundum sint inhabitaturi. Secundũ quorundam opinionem certum est eam terræ partem, in qua Infantes isti erunt, ab aquis liberam futuram. *Si* verò prædicti Infantes in Limbo, vbi nunc detinentur, permaneant, tota terra aquis operietur, siquidem hoc elementorum dispositio requirit: nam quòd nunc tota non sit aquis operta, causa est quia in ea homines commorantur. De *Infantibus* autem sequenti capite agemus.

QVÆ

QVÆ POST RESVRRECTIONEM *futura sit conditio Infantium ex hac vita sine Baptismatis Sacramento discedentium.*

CAPVT XXVII.

DE hisce infantibus multa satis in prima huius opusculi parte dicta sunt, nempe cap. 8. de Limbo eorum receptaculo, item cap. 10 quæsitum fuit à quibus animæ puerorum in Limbũ deducerentur? Ca. 30. egimus de statu ipsorũ, in Limbo, itẽ, an etiã pœnam sensus patiantur? Prçterea in secunda parte cap 23. dictum est eosdem infantes fore sistendos ante tribunal Christi in extremo Iudicio. Tria nunc de ipsis nobis restant dicenda. Primò, de dispositione corporum eorum post resurrectionem.

Quod itaque hanc attinet, dico, etsi pusilli admodum ex hac vita discesserint, plurimique illorum in vtero matris mortui fuerint, nihilominus tamen, quemadmodum & cæteri omnes, in ætate virili resuscitabuntur, annorum circiter triginta, seruata etiam distinctione sexus. Probabile quoque videtur eòs carituros omni deformitate corporis quam in hac vita habuerunt, quam Damnati iuxta multorum opinionem, vti superiùs docuimus cap. 16. retinebunt.

Secundò quæritur, cuiusmodi vitam tales Infantes acturi sint, & quo in loco.

Vincentius quidam (sicut citat S. Augustinus lib. 1. de origine animæ ca. 9. & lib. 3. ca. 13.) citra omne fundamentum existimauit hosce Infantes, etsi labe originalis peccati sint contaminati, nihilominus tamen regnum cælorum consecuturos. Verùm error iste à Sancto Augustino sufficienter confutatus est testimonio Sancti Ioannis qui expressè cap. 3. inquit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in Regnum Dei.* Pelagiani quoque (quemadmodum recenset idem Sanctus Augustinus de hæresibus) pueros non baptizatos extra regnum Dei peculiarem acturos vitam existimabāt, æternam quidem ac beatam, sed vtrum naturalem, an verò supernaturalem nō explicuerunt. Ambrosius Catharinus in lib. de statu puerorum citra Baptisma mortuorum arbitratur infantes istos post iudicium victuros in parte aliqua amœna huius Mūdi, ibique naturali quadam beatitudine fruituros. Gregorius de Valentia tomo 2. summæ suæ disp. 6 qu. 17. pun. 4. ait hanc Catharini opinionem nequaquam esse tenendā, tanquam omni fundamēto destitutam, neque sacrarum literarum testimonijs cōformem: cùm enim eiusmodi Infantes ob peccatum originale filij iræ sint, inimici Dei & condemnati, haud æquum esse vt vlla felicitate perfruantur. Suarez in tertia parte to

mo

mo quarto de Purgatorio disp. 45. sect. 7. asserit probabile esse prædictos infantes post Iudicium nō in Limbo detinendos, sed victuros potius in superficie terræ philosophantes ac Mundum hunc contemplantes. Deinde etiam Deum cognoscent tanquam Naturæ authorem, eundem quoque laudabunt ac diligent. Quam sententiam plerosque Theologorum sequi dicit: nec ego impiam aut aspernandam esse arbitror. Ad rationes Valentiæ responderi potest: quandoquidem infantes isti nō sunt inimici Dei ex propria voluntate, nec quicquam contra sanctam eius legem operati sunt, nullũque actuale commisêre peccatũ, haud esse probabile Deum aduersus illos tanto vsurũ rigore, vt non solùm regno cælesti eos priuare sed in æternum etiam in Limbo tanquam obscuro aliquo carcere conclusos detinere velit.

Tertiò quæritur an infantes isti, videntes se priuari felicitate, quam in iudicio electis dari conspexerunt, eandem beatitudinis orbationem molestè ac ægrè laturi sint. Dubitationis hui⁹ ratio est, quia scilicet cognoscẽt se quoque beatitudinis illius participes fieri potuisse, qua nũc alios sui similes potiri cõspiciũt. Hoc dubiũ in priori huius libelli parte ca. vlt. excussum est, vbi de animabus prędictorũ infantiũ tractauimus: at

hoc loco de illis agemus quatenus homines sunt ex anima simul & corpore constantes, Abulensis in S. Matthæum cap. 25. quæst. 662. & Dominicus Soto de Natura & gratia 1. cap. 14. putant non esse absurdũ si dicamus eos aliqua affici tristitia. S. Augustinus contra Iulianum lib. 6. cap. 4. idem planè confirmare videtur, dicit enim pueros istos ægrè laturos se à regno Dei separari, videntes scilicet hoc sibi iustissimè reddi potuisse, quod vident reddi mortis suæ consortibus. Gregorius de Valentia tomo 2. summæ suæ dist. 6 quęst. 17. pun. 4. interno quodam dolore eosdem etiam cumpunctũ iri existimat, cognoscent enim aliena culpa non propria ista se felicitate esse defraudatos. Alij porrò, inter quos etiam est S. Thomas in 2. sent. dist. 33. arbitrantur nullam eos hinc concepturos tristitiam aut afflictionem, verùm in reddenda causa, quare scilicet ob tantæ felicitatis iacturam non affligantur, inter se variant ac discrepãt Doctores, Aliqui putant, quia cognoscent id damni se passos non propria culpa sed aliena: at ista causa non tollit dolorem natum ex dãno recepto, quantumuis alij illius causa extiterint. Alij autumant ideò æquiori animo hanc calamitatem laturos, quòd nimirũ se tantę glorię videbunt nõ esse capaces. Neq; hoc verum est, sciunt enim & in Iudicio

vide-

viderunt alios eiusdem naturæ homines istius gloriæ fuisse capaces. Adhęc etiam experientur ac sentient ex natura sua se inclinatos esse ad videndum Deum, atq; hinc facillimè cognoscēt se quoq; illius gloriæ capaces esse non minùs quàm alij qui nunc eadem fruuntur. Ratio ergo propter quam nulla afficientur tristitia aut afflictione hæc est, quia nimirū voluntatem habebunt ita rectam ac diuinæ voluntati subordinatam, vt in omnibus isti sese conformare nullo modo sint recusaturi. Et quia cogitabūt ita determinatū esse apud Deum, ne ipsi ad gloriā cælestem vocentur, hinc nullo afficientur dolore, sed bonis naturalib⁹ ipsis à Deo concessis cōtenti Deo insuper gratias agēt, quod non & ipsi sint ex numero damnatorum, quos in extremo iudicio tam miserabiliter viderint in Infernū præcipitari. Adde quòd si de perdita felicitate dolerent, iā vitam agerent perpetuò miseram omnique consolatione destitutam, quia semper essent in mœrore & afflictione, atq; ita quodammodo pœnam sensus paterentur. In hac quoque sententia est Suarez tomo 2. 3. par. quæst. 59. art. 6. sub finem.

Admonitio ad Christianum Lectorem.

HAEc sunt (Christiane Lector) quæ mihi de altera vita scribenti potissi-

mum occurrerunt. Reliquum nunc est vt in eadem bonam aliquam tibi mansionem procures, quod nequaquam difficilè futurum est, si hoc tanquam indubitatum axioma tibi persuasum habeas, fieri videlicet nō posse, vt in hac pariter & in altera vita quisquam perpetuò gaudeat. Illud dico consistere simul non posse, vt quis in hac vita omni genere deliciarum ac voluptatum perfruatur, nihilque quærat quam vt genio indulgeat, ac post hanc vitam æterna simul felicitate potiatur, quemadmodum illud perspicuè S Chrysostomus declarat sequētibus verbis: *Impossibile est vt præsentibus quis fruatur bonis & futuris.* In libra, quò altiùs altera lancium attollitur, eò magis altera deprimitur: Similiter qui in hac vita deliciis perfruendo exaltatur, in altera illa deprimetur in locum, vbi nolens volens grauissimas pœnas tolerare constringetur. Hoc nimirum est quod nos docet Christus Magister veritatis in parabola illa de Lazaro mendico ac diuite Epulone, cui guttulam aquæ postulanti respondebat Abraham: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Luc. 16. Neque sane ipsa ratio permittit, vt qui Christi seruus nuncupari velit, meliùs tractetur quàm Dominus eius ac Magister. Si Filius Dei tota vita

sua

sua grauissimè semper laborauit & afflictus fuit: si Mater eius sanctissima ac innocentissima, si Apostoli charissimi Christi, amici, si Martyres, & quotquot Beatorum in Cælo sunt, per viam tribulationum & afflictionum in cælestia gaudia ingressi sunt, quomodo, quæso, tu per voluptatis ac deliciarum semitam in Cælum ad alterius vitę gaudia consequenda transire præsumis?

Duo in altera vita loca sunt, quæ à summi boni fruitione tibi impedimentum cōminantur, Infernus scilicet & Purgatoriũ. Ille quidem in perpetuũ: hoc verò ad tempus. In vtroque luendæ sunt pœnæ conformes peccatis quæ commiseris. A quibus duobus locis duo contrà remedia securum te ac liberum præstare possunt. Primum est, vt satagas continuè viuere in gratia *Dei*, animam tuã ab omni mortali peccato immunem conseruando, ad quã rem nihil æquè salutare erit ac sacra Confessio & frequens Communio, quarum illa à peccatis animã purgat, hæc verò confortat vt inceptum iter ad Montem vsque Dei perficere possis. Atq; hoc quidẽ remediũ ab Inferno te præseruabit, si videlicet viuas ac moriaris in gratia Dei. Alterũ est, vt diligẽter cures in hac vita pro omnib⁹ peccatis tuis quã acuratissimè satisfacere; licet .n. hinc discedas in gratia


Dei;nihilominus tamē nisi plenariè in hoc sæculo satisfeceris, pro delictis in Purgatorio tibi pœnæ luendæ erunt. Sin autem *Ieiunijs*, Pœnitentijs, eleemosynis & orationibus pro iniquitatibus tuis hîc plenariè satisfeceris, citra omne Purgatorij tormentum & cunctationem, in infinitum illud gaudiorum ac deliciarum cælestium pelagus deuenies.

In altera vita pro quisquilijs ac sordibus reputantur tituli honoris ac Mundi magnificentia. In nullo precio sunt diuitiæ terrenæ, voluptates ac deliciæ sensuales seuerè admodum castigantur: at magni contra æstimantur opera misericordiæ, aliaque deuotionis, pœnitentiæ, & cæterarum exercitia virtutum. Quod si verum est, vti est verissimum, nunquid manifesta tua est insania, cùm ad alteram tibi eundum sit vitam quæ æterna est, relictis his quæ ibidem in summo sunt precio, ijs te potius rebus onerare, quæ nullius prorsus in altera vita sunt æstimationis? Desiste ergo honoribus, diuitijs, ac voluptatibus sensualibus incumbere. Virtutem & reliqua pietatis opera seriò amplectere, si in altera vita perpetua vis felicitate gaudere.

Vale.

FINIS.





Luca
Pinelli.